DELECTUS
OPUSCULORUM
MEDICORUM

ANTEHAC IN

GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM.

QUAE

In Auditorum commodum collegit, & cum
notis hinc inde aucta recudi curavit

JOANNES PETRUS FRANK M. D.

S. C. & R. M. a Consiliis Gubern. Mediol.
Facultatis Medicae per Insubriam Austr.
Praesid., & Clinicae Ticinens. Prof.
p. & o. Reg. Acad. Scient.
Goetting. &c. Sodalis.

VOL. VI.

TICINI.

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCLXXXIX.

ELENCHUS.

CAROLI GEORG. THEODORI KORTUM

TREMONIA-WESTPHALI

DISSERTATIO

DE

APOPLEXIA NERVOSA

Goetting. 1785.

§. I.

Quaedam circa definitionem Apoplexiae.

QUI apoplexiam definiverunt, auctores plerique, praeter sensuum internorum & externorum motuumque voluntariorum subitaneam ablationem, functiones vitales, respirationem puta & pulsum superstites, quinimmo auctas, tanquam necessarium illius characterem consideraverunt, quo attonitus morbus ab aliis, potissimum ab animi deliquii vehementiori gradu distingui possit. Suf-

ficiat ex ingenti numero BOERHAAVIUM (*a*) HESTERUM (*b*), KANNENGIESSERUM (*c*), ELLERUM (*d*), CULLENIUM (*e*), excitasse. Quid quod iam antiquissimos Medicos eandem sententiam amplexos videamus. ARCHIGENES (*f*) enim ait: *Utque absolute dixerim, qui in hanc incidunt aegritudinem, sensu omni carentes mortui vivunt i. e.* actiones vitales sunt superstites. PAULUS AEGINETA (*g*) diserte addit suae definitioni apoplexiae, *respirationem superesse debere*. Quidquid horum sit, variis ex rationibus mihi videtur, actiones vitales superstites in definitionem morbi nostri sine limitatione recipiendas non esse. Dantur enim diversi apoplexiae gradus quoad vehementiam, tam ex sensuum internorum & externorum motuumque voluntariorum imminutione vel plenaria abolitione, quam praeprimis ex respiratione & pulsu plus minusve superstitibus, determinandi. GALENUS (*h*) iam

(*a*) Aphor. 1008. Instit. Med. 860.
(*b*) Diss. de apoplexia magis chirurgicis, quam aliis medicamentis curanda, Helmstad. 1752.
(*c*) Diss. de apoplexia resp. SCHLICHTING. Kil. 1756. §. V.
(*d*) Obs. de cognoscendis & curandis morbis p. 279.
(*e*) First lines of the practice of physic. Vol. III. §. 1032.
(*f*) Apud AETIUM L. VI. cap. 27.
(*g*) L. III. cap. 18.
(*h*) L. II. Aphor. 24.

a refpiratione permanente, vel imminuta, vel plane cohibita, apoplexiae in debilem, fortem & acutiffimam diftinctionem defumit, & fimile quid faciunt F. HOFFMANN (*a*), KANNENGIESSER (*b*), aliique. Nec Cl. NICOLAI (*c*) in apoplecticis quandoque refpirationem prorfus ceffare reticet. Permultorum igitur definitiones apoplexiae in fortiffimum huius morbi gradum ne quadrare quidem, adeoque definito fuo effe anguftiores, quis non videt? Magnum huic rei pondus addunt obfervationes hominum apoplexia correptorum, & fimul vita flatim defunctorum; quales e. g. WILLISIUS (*d*) de fene quodam obefo, cacochymico, WEPFERUS (*e*) de homine inter prandendum, MORGAGNI (*f*) de aethiope, quum tuba caneret, nobis reliquerunt; nuperque adhuc fimili fato Academiae Georgiae Auguftae ereptus eft Profeffor Theologiae celeberrimus WALCHIUS. Porro mortes fubitaneas a variis cauffis v. g. vehementioribus animi affectibus, vaporibus mephiticis &c. inductas do-

(*a*) Med. rat. fyftemat. T. IV. cap. I. p. 3.
(*b*) Diff. cit. §. 18 -- 21.
(*c*) Pathologie B. IV. p. 160.
(*d*) De anima brutorum cap. VIII. p. 143.
(*e*) Hiftor. apoplect. I. p. 424.
(*f*) De fedibus & cauff. morbor. Ep. V. n. 17. p. 41.

cente post multos alios Ill. CULLEN (*a*) commode ad apoplexiam referre possumus ob insignem, quam cum illa habent, analogiam infra fusius demonstrandam. Asserit quidem VAN-SWIETEN (*b*), eos, qui subita morte plane perierunt, minus recte dici mortuos esse apoplecticos; nihilominus tamen alio loco caussis apoplexiae cum BOERHAAVIO annumerat venenatos halitus v. g. vaporem fermentantis liquidi, fumum carbonum & s. p. qui in plerisque saltem casibus non animales solum sed etiam simul vitales functiones prosternunt. Ad hanc itaque difficultatem, quam ipse satis perspexit, removendam sequenti ratione procedit SWIETENIUS (*c*). Prostratis dicit a vapore mephitico actionibus animalibus, vitales adhuc *per momentum* superesse; virulentiam vero istius fumi efficere, ut etiam ocyssime post animales functiones abolitas vitales deleantur. Sed praeterquam, quod *momentis* hic mercari, vix satis ratum videatur atque consentaneum, haec etiam explicatio non congruit cum phaenomenis, quae in exhalationibus venenatis extinctis observantur (*d*). Subi-

(*a*) L. c. §. 1052.
(*b*) Commentar. T. III. ad aph. 1008.
(*c*) L. c. p. 278.
(*d*) Vid. Cel. GMELIN. praeceptoris pereximii, Allgem. Gesch. der Gifte I. p. 170. 175. & alibi.

to enim saepe animales eodemque momento vitales actiones sufflaminantur. - Denique repentinas modo dictas mortes plerasque ad apoplexiam pertinere caussarum probat convenientia, & illa observatio, quod mortui quasi iacentes saepe in vitam revocari possint, plane eadem medela adhibita, quae in apoplexia consueta est. Omnia igitur analoga sunt; solum illud phaenomenon respirationis perdurantis aut sublatae induxit SAUVAGESIUM (*a*), SAGARIUMQUE (*b*), ut Apoplexiam traumaticam ab asphyxia traumatica, Apoplexiam carbonariam ab asphyxia eiusdem nominis longe separaverint, cum tamen iis ipsis fatentibus caussarum & medelae ratio una sit eademque.

Optime igitur apoplexiam appellari posse existimo *sensuum tum internorum tum externorum motuumque voluntariorum subitaneam abolitionem* (*c*), *vel saltem magnam imminutionem* (*d*), *actionibus*

(*a*) Nosol. method. Cl. VI. ord. 4. 5.

(*b*) Syst. morb. p. 540. 552.

(*c*) PECHLINUS (Diss. de apopl. Leid. 1667. recus. in Ill. HALLERI *collect.* Diss. practicar. Vol. I. §. 2.) apoplexiam mavult interruptionem, quam abolitionem actionum animalium nominare, ne ex eventu pessimo genus determinet.

(*d*) Plenariam enim abolitionem non semper adesse praeter alios b. SCHROEDERUS Diss. de apopl.

vitalibus saepe, non vero semper, *superstitibus*, *quin auctis*. Consentiunt mecum definitiones antiquissimorum Medicorum, CELSI (*a*), ARETAEI (*b*), GALENI (*c*), neque minus b. LUDWIGII (*d*), IUCHII (*e*), aliorumque, qui omnes functionum vitalium persistentium disertam mentionem definitionibus suis non iniecerunt. Obiiciat vero aliquis in exhibita definitione apoplexiam ab asphyxia non rite distingui, neque hoc primo intuitu ita videri diffiteor. Sed ut, quid hac de re sentiam, rite explicem, quas diversi auctores adduxerunt notas, apoplexiam a syncope distinguentes, in medium proferre oportet. ARETAEUS (*f*), *lipothymia*, inquit, *est genuum*

---

ex vitiis praecordior. origine §. III. docuit, & ab actionum animalium minori vel maiori prostratione apoplexiae in *fortem* s. *exquisitam* & *debilem* s. *parapoplexiam* divisionem desumsit. Consentit CULLENIUS l. c. §. 1032. aliquali saltem ratione aboleri, quia etiam affectus soporosos alios, carum nempe, coma, cataphoram & lethargum huc refert.

(*a*) De Medicina L. III. cap. 26. *Apoplexia est universalis paralysis*.

(*b*) Diuturnor. L. I. cap. 7. *A. totius quidem corporis & sensus & motus resolutio est*.

(*c*) Defin. Med. no. 244.

(*d*) Instit. pathol. §. 218.

(*e*) Diss. sistens aegrotum apopl. correptum & sanatum. Erford, 1749. §. 1.

(*f*) L. c.

resolutio & sensuum per aliquod tempus stupor & exanimatio & casus ; quae vero definitio ideo improbanda est, quia animi deliquium omnino etiam diutius durare & perimere posse constat. Alii, & quidem plerique, praeeunte AEGINETA (*a*), eo, quod in apoplexia actiones vitales supersint, illam a syncope discernunt ; de quo quid sentiendum sit, modo exposuimus. KANNENGIESSER (*b*), *lipothymici*, ait, *ad se redeuntes non solum sensuum internorum & externorum exercitium recipiunt iterum, sed partes etiam corporis omnes valent movere, id quod ex gravi apoplexia excitati possunt neutiquam.* Sed quantumvis hoc certum sit, pro signo tamen diagnostico inservire non potest, cum non nisi superato iam morbo, cuius generis & indolis ille fuerit, nos condoceat. Addit idem, *plerumque in apoplexia faciei rubedinem, in lipothymia pallorem adesse.* Illud vero neutiquam semper ita se habere, ex sequentibus patebit.

Perpensis itaque, quae hucusque proposuimus, certum non dari characterem, quo a syncope dignosci possint, ii ad apoplexiam referendi affectus, in quibus, praeter animales, etiam vi-

(*a*) L. c.
(*b*) Diss. cit. §. VIII.

tales actiones deletae sunt, facile videri posset. Magnum interim diagnoseos adminiculum subministrant caussae praegressae; cum apoplexiam plerumque non nisi graviores vel diu iam corpori inhaerentes caussae proferant, animus vero a levioribus linguatur & momentaneis. Dein etiam KANNENGIESSERI mox adducta criteria non plane flocci sunt pendenda. Porro functiones vitales superstites auctaeve, respiratio stertorosa & s. p. egregium omnino characterem constituunt, licet non semper adsint, adeoque in definitionem cum aliqua tantum limitatione recipiendae. Denique fatendum est, in iis morbi attoniti speciebus, quarum a lipothymia distinctio praecipue difficultate premitur, infra commemorandis, medelam plerumque eandem, vel saltem similem, ac in animi deliquio convenire; ut itaque error hic forsan in diagnosi commissus nullum in praxin influxum exserat. Plura hac de re passim in progressu tractationis proponentur.

Quae quidem omnia idcirco annotare visum fuit, quia complures mortes subitaneas, vel veras vel saltem apparentes omnino ad apoplexiam & quidem potissimum illam, quae Dissertationis obiectum constituit, pertinere censui, in quas tamen nota a respiratione ac pulsu persistentibus vel adeo auctis petita neutiquam quadrat (*).

(*) Haec circa apoplexiae definitionem opinio *Au-*

§. II.

Caussarum Apoplexiae agendi ratio. Apoplexiae nervosa.

Quodcunque facultate instruitur systematis nervosi illam, quae sensibus motibusque volun-

ttoris, quem inter optimos *Clinices* meae Auditores *Goettingae* numeravi, mentis acutiem non parvam ostendit, atque tota haec Dissertatio, licet iuvenile opus, quamplurima tamen continet notatu dignissima. Interim, quamvis, in condendis definitionibus nimium sudare, *scholastica* nimis videatur occupatio & ad lectos minus utilis; fatebimur tamen, morbos consimiles ab invicem distrahi, aut discordes uniri in scholis etiam non posse, quin magna in praxi, & damni plena pro aegrotis nascatur confusio. Id vero & a Nostro factum esse, qui praecipuorum Auctorum apoplexiae definitiones corrigere intentus fuit, mihi saltem videtur. Atque ex eo primum, quod plures certe ex apoplexia *subito extinguantur*, contra usitatam morbi huius definitionem concludi nihil potest: nam & febris intermittens, quam perniciosam dicimus, *saepe primo iam insultu vitam extinguit*: quin ad hanc ipsam morborum classem ideo minus esset referenda. Dein ex communioribus symptomatibus & ex *morbi perdurantis* phaenomenis, non ex *morte*, trahitur obiecti a Medicis considerandi definitio, ut quae subinde alios quandoque affectus cito nimis insequitur. Dein non videntur certe *asphyxiae*, aut *lipothymiae* variae species, licet in aliquibus cum *apoplexia* conspirent, ad eandem classem sine noxa posse

tariis inservit partem, saepe etiam simul fontem actionum vitalium, sensim subitove tam ingrate

referri: neque methodus, eisdem *per irritantia* succurrendi, in *apoplexia*, saltem *sanguinea*, sine pernicie poterit adhiberi. Debuisset Auctor, ut suam de *morbo attonito* opinionem probaret, vel unicum aegrotum, qui ex hac v. g. vel etiam *serosa* apoplexia non subito extinctus esset, vitalibus tamen actionibus, pulsu, respiratione destitutum ostendere. Ostendit *asphycticum* hominem, lipothymia prostratum.... Sed hoc ipsum est, de quo disputatur, & quod *petitur principium*, in rei necdum comprobatae argumentum nequaquam mox afferendum.

Non tamen ideo communem apoplexiae, vel ARETAEI, aut CELSI, aut BOERHAAVII etiam definitionem ego quidem ideo mox comprobaverim; sed praeplacet illa CHANDLERII, qui apoplexiam „ morbum esse dicit, in quo, sensus tum externi, tum interni, motuumque voluntariorum usus omnis, cum motu interim cordis & respiratione adhucdum continuato, *certo gradu* aboliti sunt " (Enquiry into the various theories and methods of cure in apoplexies and Palsies, by Bernh. CHANDLER Canterbury 1785.). Sic vero apoplexia distinguitur *a Paralysi:* quod usus sensuum, motuumque voluntariorum *omnis* sublatus sit; a *syncope* vero, quod cordis motus & respiratio in apoplexia superfit. Eo vero, quod *certo gradu* has functiones suppressas, praeeunte iam CULLENIO dixerit CHANDLERUS, morbos apoplexiae affines, soporosos, uti *cataphoram*, *coma* & *lethargum*, ab apoplexia non nisi gradu distincta, in definitionem trahere eandem voluit.

afficiendi, ut eius functio momento insigniter imminuatur, vel plane tollatur, saltem ita imminuatur, ut in cessationem proxime transeat, caussa apoplexiae appellari meretur. Cuius quidem rei summam licet ab omni aevo cognitam habuerint Medici, mutationem tamen, quae in apoplexia, uti in multis aliis abstrusis cerebri morbis, in intimis sensorii communis penetralibus contingit explicare, distincteque perspicere, humano impossibile est intellectui. Sufficit interim remotiores, quae hunc non explicandum in vim nerveam exserere possunt effectum, caussas nosse, quaeque in apoplexia extinctis cultro anatomico perquisitis visui sese obtulerunt, & durante ipso morbi insultu externe se ostendere solent phaenomena, perspecta habere, cum his fere solis medelae ratio superstrui debeat omnis.

Crediderunt Antiquiores, caussas apoplexiae remotas omnes non nisi cerebrum comprimendo vel inundando, eoque spirituum nervosorum ad organa sensuum & motuum iter retardando aut plane sistendo effectum suum praestare. Praeter tumores varios in calvaria ipsove cerebro enatos, praecipue sanguinem, serum aliosque humores encephalum irruentes & ibi vel effusos vel in vasis solummodo congestos & stagnantes ut caussas huc retulerunt. At enim vero cum in cadaveribus apoplexia defunctorum dissectione explo-

ratis caussas cerebrum comprimentes saepe non reperirent Medici, saepe etiam ab eiusmodi caussis cernerent attonitum morbum produci, quae comprimendo plane non agere posse viderentur; aliud a priori valde diversum apoplexiae genus invadere quandoque mortales suspicati sunt. Prolixe dudum de occulta & sub cranio saepe nequaquam reperiunda & aliorum cerebri morborum & apoplexiae origine conquestus est BALLONIUS (*a*). Memorabilem valde historiam senis retulit WILLISIUS (*b*) apoplexia subito enecati, in quo post mortem encephalum absque omni labe deprehensum fuit. *Hoc in casu*, subiungit (*c*), *nil aliud suspicari licuit, quam spiritus animales, intra cerebri meditullium consitos, a particulis quibusdam malignis, sive narcoticis, sive aliis infestis, subito profligatos & quasi extinctos fuisse*. De apoplexia ex debilitate & inanitione iam SYDENHAMUS (*d*): BOERHAAVIUS (*e*), aliique his antiquiores, infra nominandi locuti sunt. SEELMATTER (*f*)

(*a*) Opp. ed. TRONCHINI Tom. III. p. 46.
(*b*) De anim. brutor. Part. II. cap. 8. vel WEPFER Hist. apopl. p. 619.
(*c*) L. c. WEPFER l. c. p. 621.
(*d*) Opp. om. p. m. 388.
(*e*) De morbis nervorum Tom. II. p. 643. 652. Instit. Med. §. 860. n. 4.
(*f*) Morbi circa Tobinum familiares Basil. 1751.

dari censet, apoplexiam, in qua nullae stagnationes & humorum effusiones in cerebro reperiantur, & in qua oculi non sint protrusi vitreique, eamque ex subitanea nervorum relaxatione &c. proficisci. Apoplexiam ab ingenti cholelithorum numero excitatam vidit FABRICIUS (*a*), & post mortem extravasati sanguinis ne vestigium quidem reperit, vasa potius encephali sanguine vacua & aere repleta. Ipse Ill. MORGAGNUS (*b*) alias, monet, caussarum apoplexiae *sensus omnino fugere*, alias sub hos cadere. Assensum praebuit, huic sententiae b. SCHROEDERUS (*c*), variisque auctorum (*d*) testimoniis comprobavit, nonnunquam absque ulla, quae comprimendo suam in encephalum proxime exereret efficaciam, caussa apoplexiam oriri; viceque versa vitia saepe post mortem intra calvariam reperiri, ex quibus facile suspiceris apoplexiam adfuisse (*e*), cum tamen eius nihil ante mortem observatum fuerit. Etiam DE

& recus in Diss. pract. HALLER. T. VI. p. 681. §. 17.

(*a*) In Act. Nat. curios. Vol. X. p. 117.

(*b*) Libr. cit. ep. II. no. 5.

(*c*) Diss. cit. §. IV. XI.

(*d*) V. c. MORGAGN. l. c. ep. II. IV. V. var. loc. THIERRY Med. experim. p. 142. 143.

(*e*) V. praeter MORG. TULPIUS Obs. 24. 25.

HAEN (a) apoplexiam ex defectu spirituum animalium commemorat, & Ill. STOERCK (b) illius, quae ex subitanea spirituum animalium paralysi oritur, absque ullo post mortem in corpore reperiundo vitio, mentionem iniicit. Simile quid, apoplexiam nempe insigni nervorum debilitati & quasi collapsui quandoque natales debere, declarat WITHERS (c). WILL. GRANT (d) ex observatione amici sui ARMSTRONG narrat casum apoplexiae in emaciato homine, quem haustus spiritus frumenti restituit, & cui, quod annotat, valde noxia fuisset venaesectio. Minimam omnium probabilitatem prae se fert sententia Cl. NICOLAI (e), qui apoplexiam, cuius post mortem nullae conspicuae caussae deteguntur, a spasmodica menyngum, piae praecipue & arachnoideae contractione, cerebrum stringente forsan oriri existimat.

(a) Rat. medend. Tom. IV. p. 164. 180.
(b) Medic. prakt. Unterr. Th. I. p. 317.
(c) Bemerkungen über die Fehler beym Gebrauche der Arzneymittel. p. 209. 256.
(d) Pathol. B. IV. p. 153.
(e) Von den Fiebern p. 485.

§. III.

Theoria Apoplexiae LE CATII & *Cel.* WEIKARDI.

Nullus vero Medicorum est, qui hanc rem (§. I.) ita urserit, ac, ante viginti quatuor fere annos, Clarus ille Gallorum Chirurgus LE CAT (*a*), eiusque nuper vestigia premens Cl. WEIKARD (*b*). Prior quidem ille nunquam ab humoribus in encephalum congestis vel effusis apoplexiam oriri censet, quia in hydrocephalo insignis humorum copia intra calvariam congesta est, & cerebrum comprimit, neque tamen ulla in apoplexia alias animadverti solita subsequuntur symptomata. Deinde refert, se in viro quodam nobili apoplexia extincto tertium inter & quartum cerebri ventriculum sanguinem effusum reperisse tam paucum, ut cochleari pro Thea capi potuerit, qui igitur comprimendo cursum spirituum vitalium sistere plane nequiverit. Sanguinis in apoplexia effusionem semper non nisi

(*a*) Ad calc. libri: DONALD MONROO von der Wassersucht übers. von C. C. KRAUSE Leipz. 1762. p. 361.
(*b*) Verm. med. Schr. St. 1. & 2. var. loc. Ill. BALDINGER N. Magazin f. Aerzte B. IV. p. 243.

fequelam eſſe ac ſymptoma ſpaſmodicae conſtrictionis durae matris, nervorum vaſorumque encephali, quam a podagrica plerumque & rheumatica materia excitari & cauſſam apoplexiae veram proximamque conſtituere exiſtimat.

Sententiam hanc ambabus arripuit manibus Cel. WEIKARD, eamque quam plurimis aliis rationum momentis, obſervationibus & auctorum teſtimoniis ſtabilire tentavit. De cauſſa proxima apoplexiae diverſis modis ſententiam ſuam declarat. Mox dicit adeſſe materiam quandam, praecipue arthriticam & rheumaticam, quae encephalum irruat, ſpaſmodice ſtringat, vitaeque fontem obſtruat. Ipſos tumores aliaque dura corpora intra calvariam haerentia irritando tantum non comprimendo apoplexiam excitare. Alibi monet, adeſſe etiam aliquid poſſe, quod ſubtiliſſimum illud fluidum electricum ſ. phlogiſton, vitae principium expellat, eiuſque inhibeat motum. In *debilem* ſolummodo & *fortem* apoplexiam dirimit. Humores effuſos nunquam morbi attoniti cauſſam conſtituere, ſed vel effectum eſſe ſpaſmi illius ſyſtematis nervoſi atque vaſorum cum LE CATIO conſentit, vel ſaltem per ſe apoplexiam producere nequiviſſe. Aeque parum ab effuſo ſanguine necatos fuiſſe apoplecticos, ac polypoſis in corde concretionibus ii, in quibus hac poſt mortem reperiuntur.

§. IV.

§. IV.

Quaenam illi repugnent?

Contra hanc vero ſententiam varia monuerunt viri quidam celeberrimi, quos inter praecipue Cel. KRAUSE (*a*), Ill. MEZGER (*b*), & Anonymus, qui in diario litterario Berolinenſi (*c*) WEIKARDI ſcripta diiudicavit, nominandi ſunt. Et negari certe nequit, nimium fere proceſſiſſe cum LE CATIO Ill. WEIKARDUM, dum ex compreſſione encephali unquam apoplexiam oriri negat pernegatque, dum ad omnes ac ſingulas attoniti morbi cauſſas theoriam ſuam extendit ſeu potius contorquet. Dari quidem omnino apoplexiam, quae abſque ulla cerebri compreſſione, ſed ſyſtemate nervoſo quacunque alia ratione male affecto ingruit, quamque *nervoſae* nomine inſignire liceat, tam certum eſt, quam quod certiſſimum, eiuſque exiſtentiam, dignitatem & amplitudinem per ſingulas ſpecies demonſtrare, meum in hac ſcriptiuncula propoſitum eſt. At vero da-

(*a*) In not. ad MONROO libr. cit. p. 364.
(*b*) Verm. med. Schriften., praeſertim Tom. I.
(*c*) Allgem. deutſche Bibl. Anh. zum XXV--XXXVI. Bande, Abtheil. I. & B. XLIII. St. 1. p. 20. XLVIII. St. 1.

ri etiam apoplexiam ex compressione oriundam, nunquam, quantumvis intricatis conclusionum minutiis refutabitur. Cur non vehemens sanguinis versus caput congestio a suppressis suetis haemorrhagiis, motu intenso, nimia spirituosorum ingestione &c. oriunda, cerebri vasculum disrumpere & cruorem effundere posset, cum tamen narium haemorrhagiam saepissime inde fieri, quotidiana constet experientia? Cur non saltem vasa insigniter dilatare & hac ratione encephalum comprimere? Cur non spasmus peripheriae corporis aut inferiorum eius partium e. g. ex frigore intenso, sanguinem ad caput urgere, in cerebrum coacervare, effundere, absque mystica illa systematis nervosi constrictione le Catio-Weikardiana? Quis hodie strangulatos, suspensosque apoplexia sanguinea plerumque perire negaverit. Observat iam RIDLEIUS (*a*), raro inveniri hominem suspensum, quin semper sanguis effusus sit supra cerebri superficiem (*). Obiicitur quidem, laqueo suspensos, licet iam facie rubicunda, lingua protrusa & spuma ante os conspicuos, tamen debitis auxiliis adhibitis integre convaluisse, absque paralyseos remanentis vesti-

(*a*) Apud BOERH. de morb. nervor. p. 31.
(*) Vidi tamen non fuisse in suspenso, quem *Bruchsaliae* dissecui.

gio, uti historiae a GALENO (*a*), SWIETENIO (*b*), WEPFERO (*c*), FUCHSIO (*d*); Cl. MOHRENHEIM (*e*), aliisque narratae docent. Sed quis quaeso ex his demonstrabit, suspensos non mori apoplectice? Ut mihi videtur, si omnia phaenomena praesentia morbi vel necis aliquod genus adesse docent, ex iis, quae remanent, vere concludi nequit, non adfuisse. Obiici porro potest respirationis interceptionem ad mortem suspensorum plurimum conferre. Attamen eam solam non sufficere ex sequenti satis nota narratiuncula iam elucet. Chirurgus quidam capitis damnatus brevi antequam ad patibulum duceretur, ab amico bronchotomiam sibi instituendam curavit, seque iam a morte ex strangulatione tutum existimans, laetus ad supplicii locum migravit & tamen animam efflavit, sine dubio apoplexia sanguinea extinctus. Caeterum de morte eorum, qui faucibus laqueo praeclusis intereunt, vide Ill. GRUNERUM (*f*) & ab

(*a*) Ed. Charter. IX. p. 82.
(*b*) Comment. III. p. 273.
(*c*) De apoplexia p. 167.
(*d*) Nov. Act. Acad. N. I. Tom. VI. p. 264.
(*e*) Wienerische Beyträge B. I. 1781.
(*f*) Semiotice §. 933.

eo excitatos auctores, UNZERUM (*a*) & non omnino nobiscum consentientem HAENIUM (*b*).

Qui variis pectoris morbis, insignem respirationis difficultatem inferentibus v. c. angina, peripneumonia, catarrho suffocante, asthmate vario, tussi convulsiva &c. enecantur, apoplecticos saepe magis quam suffocatos perire, communis Medicorum sententia est; & haec apoplexia, an non est manifesto sanguinea? – Audacter porro quaerit WEIKARDUS (*c*): cui unquam collare nimis adstrictum attonitum morbum induxit? Hic iterum responderi potest vulgata quadam historiola (*d*). Centurio Suecus ostentationis caussa subditos sibi milites collaria arcte adstringere iussit, quo facies vividae ac rubicundae redderentur; id vero effecit, ut aliquot annorum spatio dimidia cohortis militum pars apoplexia correpta prosterneretur. – Iisdem sequelis stipantur aliae caussae, sanguinis a capite reditum praepedientes. Sic Ill. RICHTER, Praeceptor maxima pietate colendus, in praelectionibus narravit a se visum exemplum scirrhi collo insidentis, iugulares venas comprimentis lentamque apoplexiam inferentis.

(*a*) Medicinisches Handb. 1780. p. 575--7.
(*b*) Rat. medend. continuat. Tom. I.
(*c*) Verm. med. Schr. St. 3.
(*d*) Allg. d. Bibl. B. XLVIII. St. I. p. 119.

Ex modo allatis exemplis, quorum plura impraesentiarum commemorare longum foret, iam satis patet, quid sentiendum sit de Cel. WEIKARDI opinione, solam cerebri compressionem veram nunquam inducere apoplexiam, quae insuper quam plurimis Physiologicis & Chirurgicis phaenomenis refellitur. Quot enim dantur apud auctores de capitis laesionibus, PETITUM, POTTIUM, SCHMUCKERUM aliosque, observata mortis apoplecticae a vi externa capiti illata, cranii depressione, cruoris intra calvariam effusione, subsecutae! An non notissimum illud exemplum mulieris Parisiensis (a), cui dimidia cranii olla deficiebat, clare docet ab encephali compressione sensuum obnubilationem soporem, tandemque veram apoplexiam induci? Id quod dudum pluribus probavit VAN-SWIETEN (b).

§. V.

Controversia continuata.

Sed contra haec omnia specioso argumento cum LE CATIO insurgit Cel. WEIKARD, su-

(a) Hist. de l' Acad. des Scienc. année 1700. p. 57.
(b) Comment. ad aphor. 267. Tom. I.

pra iam notato; in hydrocephalo nempe apoplexiam oriri visam haud esse; saepe etiam non accidisse, licet post mortem intra calvariam omnis generis comprimentes caussae fuerint deprehensae; pauxillum denique illud sanguinis a LE CATIO in cerebro apoplexia defuncti inventum (§. III.) apoplexiam excitare non potuisse. Attamen haec mihi ita comparata esse videntur, ut haud adeo difficili opera dilui possint. Celeberrimi enim modo excitati viri aliquid maximi momenti hic neglexisse videntur. Primo nempe *subitaneam* atque *lentam* non nisi sensim sensimque augescentem encephali compressionem non rite distinxerunt. Illa, licet exigua valde humoris effundatur quantitas, facilius longe inducet morbum attonitum, ac si lente humor licet ingentis copiae coacervatur cerebrumque compressioni assuefieri potest. Consentit mecum Ill. METZGER (*a*) dum solam compressionem *subitaneam* ac diu durantem apoplexiae inferendae sufficere contra WEIKARDUM monet. Egregie quoque nostram sententiam confirmat exemplum suppurationis in sinu frontali, ab Ill. RICHTERO (*b*) narratum. Diu suppuratio illa durave-

(*a*) Verm. med. Schr. I. p. 71.
(*b*) Obs. Chirurg. Fasc. II. vel Bibl. Chir. Vol. III. p. 337.

rat; & integerrima manente tabula ossis frontis externa, internam minus firmam ac resistentem profunde introrsum sensim truserat, nec tamen secuta apoplexia. Tandem vero cum pus, exesa & erosa interna lamina, in cranii cavitatem effunderetur, subitaneam loborum cerebri anteriorum compressionem effecit, indeque illico suborta apoplexia aegrum e medio sustulit. Similes casus duo alii Ill. RICHTERO occurrerunt, quorum unius in Nosocomio, quod hic floret, academico, ipse testis adsui (a). Dein-

(a) Liceat mihi hunc casum brevibus enarrare, cum ad rem meam probandam egregie faciat, & multiplici ratione notatu dignus sit. Puer tredecim fere annorum ad Nosocomium venit, memorabili valde sinistri oculi tumore paucarum spatio hebdomadum enato infestatus. Videbatur nempe totus oculi bulbus in massam magnam, sed tamen rotundam & aequalem, rubicundam & recenti carni similem intumuisse. Attentius vero inspecto oculo & disquisito tumore, ex tunica palpebrae superioris interna, tam immaniter protrusa ac tumefacta, ut totus oculus ea obtegeretur, & ne tantum quidem palpebram posset elevare aeger, ut obiecta aliquo modo conspiceret ac dignosceret, consistere deprehensus fuit. Lucem tamen & caliginem discernere poterat, manifesto indicio oculum ipsum non amaurosi laborare nec cataracta occoecatum esse, tum quoque, aliquali ratione tumorem esse pellucidum. Caussarum antecedentium nulla, data licet omni opera, explorari

de etiam locus ; ubi ex vafis fufus humor hac-

---

potuit, praeter achores capitis incaute repreffos. Caeterum habitus pueri erat illi fimilis, ex quo Medici diathefin fcrophulofam hariolari confueverunt. Applicabantur capiti & nuchae veficatoria, antifcrophulofa remedia varia e. g. pulvis Plummeri cum cicuta porrigebantur, fed notabili ratione vix minuebatur tumor. Illum igitur fuppuratione conficere tentans Ill. RICHTER, fcalpello repetitis ictibus incidit (nil materiae purulentae effluxit, fed merus fanguis, & totus tumor fubftantia folida quafi carnea confiftere vifus eft) & emollientia pus moventia remedia imponi curavit. Suppuratione procedente tumor paullulum fubfedit. Cum autem aliquando accuratius fpecillo inquireretur, tabula offis frontis externa, erofa reperiebatur ac perforata loco infra arcus fuperciliares, finus vero frontalis infigniter dilatatus, ad pollicis fere ambarum tabularum diftantiam, & interne exulceratus. Mox parva illa apertura ferro in maiorem diffringebatur amplitudinem, quo puri vel faniei exitus, remediis vero purificantibus & confolidantibus aditus concederetur. Calami aromatici igitur decoctum, liquori anodino minerali nuptum parvae fiphonis ope per aliquod tempus iniectum eft, deinde decoctum hordei cum myrrhae tinctura & melle. Liquidum fere femper per nares & choanas exitum legit, ut itaque finuum frontalium in nares ducentia orificia integra effe nec coalita manifeftum fieret. Quae quidem remedia eum effectum praeftiterunt, ut exulceratio (quae non nifi fuperficialis ac levis valde erat; fed tamen, nifi maturius debitis remediis oppugnata fuiffet, fummum induxiffet periculum) in frontali cavo in fanitatis ftatum rediret, foramen in tabula ex-

tet, insignem hic differentiam inferre posse vi-

---

terna ossis clauderetur sensim, neque ulla subsequerentur mala symptomata. Tumor iste oculum tegens, qui non nisi *ectropium palpebrae superioris* (alias valde rarum) dicendus est, cum tunicae internae palpebrae incrassatione & intumescentia, neque scarificationi, ad inflammationem & suppurationem excitandam, institutae, neque escharoticis variis auscultavit. Illum igitur sectione totum tollere, videbatur convenientissimum. Ne interim musculus levator palpebrae superioris, cuius fibrae hic conspicuae erant & sese contrahendo tumorem paullulum introrsum trahebant, ut in superiori sui parte fieret concavus, pessime mulctaretur, parvum prius frustulum abscindere, satius duxit Ill. RICHTER; tunc emollientibus deligare, &, quod intumescentiae restabat, suppuratione conficere, iterum moliri. Sed haec omnia frustra fuerunt; neque disparuit aut valde imminutus est tumor, antequam sectione totus & quidem auspicato successu tolleretur. Brevi vulnus coaluit, & ita restitutus puer, ut praeter crassitudinem palpebrae naturali paullo maiorem, haud valde notabile tumoris vestigium in oculo relinqueretur. Per sex fere menses curationi medicae & chirurgicae subiectus puer in Nosocomio commoratus est, antequam perfecte restitueretur. -- Ex hac breviter recensita historia in propatulo est, tabulam calvariae internam profunde satis introrsum trudi posse, absque subsequentibus soporosis vel apoplecticis affectibus, modo fiat lente incrementum impressionis. Manifestum caeterum erat, in nostro casu, ectropium palpebrae superioris cum morbo in sinu frontali non ut effectus cum caussa nexum fuisse, cum inciso tumore nullum ichorem per erosum

detur, consentiente Ill. VAN-SWIETEN (a). Modicam effusi sanguinis quantitatem ad apoplexiam producendam sufficere, ex illa patet observatione, quam ex FERNELIO recenset WEPFERUS (b), sed vas ruptum per medullarem cerebri substantiam decurrebat, quam pressionis longe magis impatientem esse corticali, cuilibet physiologiae principiis imbuto haud obscurum est. LANGHANS (c) asserit, aquaeductum Sylvii, qui ex tertio cerebri ventriculo in quartum ducit, locum esse, in quo effusus sanguis pessima symptomata creet, quia pontem cerebri & cerebellum comprimat; & hic erat praecise locus, ubi LE CAT paucum istum cruorem effusum deprehendebat, in supra notata observatione, cui tantum tribuit. Quod

---

foraminulum transiisse cerneretur, & substantia tumoris solida esset. Uterque morbus erat coeffectus eiusdem caussae, repulsi nempe exanthematis. Neque, quod facile exspectari potuisset, stupiditatem vel facultatem cogitandi hebetatam induxit haec cerebri compressio; sed pro ratione aetatis satis prudens, & ingenii multiplici germine conspicuus fuit puerulus, satis bona caeterum sanitate gaudens.

(a) Comment. III. p. 175.

(b) De apoplex. p. 579.

(c) Diss. de consensu partium Goetting. 1749. §. 88--91. recus. in HALLER Diss. pract. T. IV. p. 641.

caeterum ad LE CATII auctoritatem attinet, illam in huiusmodi rebus parum valere post alios Ill. MEZGER (*a*) monet.

§. VI.

Quomodo conciliari possint lites de natura apoplexiae.

Nervosi systematis debilitatem, variisque caussis inductam nimiam mobilitatem, inter praedisponentes apoplexiae caussas praecipuum occupare locum, inficias iri nequit; gravissimis omnino id argumentis infra passim commemorandis demonstravit Ill. WEIKARD (*b*). Sed cur sanguinis in cerebro effusionem indeque natam compressionem occasionalis saltem caussae, sine qua prior illa sola attonitum morbum producere potis non est, vice saepe fungi, negare velit, equidem non perspicio. Potest omnino magna nervorum irritatio, & vasorum spasmus in apoplexia adfuisse interdum, & sanguinem illum, qui post mortem effusus reperitur, expressisse, & hic tamen sanguis comprimendo morbum produxisse. Compressio enim

(*a*) Verm. med. Schr. I. p. 70.
(*b*) L. c.

non poteſt non encephalum vehementius afficere, ſi iam antea valde debilitatum & irritatum, ac ſi ſanum eſt. Optime mihi videtur res ita declarari poſſe. Si ſyſtema nervoſum a quibuſcunque cauſſis male mulctatum inſignem contraxit ſenſibilitatem, atque irritabilitatem accedente qualibet graviori nova irritante cauſſa, ſpaſmi oriri poſſunt in variis corporis partibus, ſanguinem ad caput urgentes, in vaſis coacervantes, encephali vaſa iam antea ſatis debilia diſrumpentes, cruorem effundentes, exprimentes. Ex hinc inducta cerebri per ſe iam ſatis debilis compreſſione demum oritur morbus attonitus, cuius vera imago ex ſola irritatione & debilitate nondum erat oborta, antequam compreſſio accederet. Nimia itaque ſenſibilitas & cauſſa nova irritans producunt ſpaſmum, ſpaſmus congeſtionem vel extravaſationem, haec encephali compreſſionem, compreſſio demum apoplexiam. Conſentit fere mecum Cel. SELLE (*a*) qui, licet WEIKARDO in multis adſtipulari videatur, negari tamen non poſſe ait, humorum effuſionem ſymptomata reddere poſſe graviora. - Patet itaque, praeter apoplexiam ſanguineam vel ab aliis cauſſis comprimentibus abſque omni ſpaſmo inductam, aliam eſſe,

---

(*a*) Med. Clin. p. 367. edit. 2dae.

spasmodicam commode vocandam, in qua itidem compressio cerebri adest, sed simul spasmus, ad quem in curatione respici debet. Ipse HIPPOCRATES (*a*) iam perspexit, in apoplexia saepe spasmum adesse dum, *si mordeatur cerebrum*, inquit, *multam turbationem habet*, *&* *mens desipit*, *cerebrumque convulsionem sentit*, *&* *totum hominem trahit*, *neque in se vocem edit*, *sed suffocatur*, *huic affectioni apoplexiae nomen est*. Et quid aliud docent prodromi, apoplecticum insultum plerumque antecedentes, ab ELLERO (*b*), TISSOTO (*c*), aliisque descripti, quam irritationem & spasmum. De apoplexia spasmodica, speciatim illa, cuius in abdomine latet fons, egregie tractavit Cel. LENTIN (*d*), Cl. SELLE (*e*), praecipuam apoplexiae caussam esse ait humorum serosorum & pituitosorum abundantiam, *cum proclivitate ad spasmos* tum quoque plethoram *cum nisu naturae* illam imminuendi. Tertiam denique apoplexiae speciem censeo *nervosam*, quae absque omni cerebri compressione evenit, sed ex caussis potius (vel materialibus vel immateriali-

---

(*a*) Lib. de glandulis ed. Foes. p. 272.
(*b*) Obs. de cognos. & cur. morb. &c. p. 288.
(*c*) Avis au Peuple 128.
(*d*) De aere & morb. Clausthal. p. 131. sq.
(*e*) L. c. p. 378.

bus) subitaneum nervorum torporem inducentibus, animalitatis fontem subito quasi obstruentibus; licet humorum effusionem, ut symptoma eiusdemque caussae coeffectum quandoque accedere posse negare non ausim. In hanc apoplexiam nervosam sequens tractatio omnis potissimum erit directa. Firmo omnino stat talo haec caussarum quarundam apoplexiae agendi ratio, & Ill. WEIKARDO laus illa & gloria debetur, quod Medicos recentiores in illam attentos reddiderit, licet hypothesi suae nimis latum tribuerit ambitum.

Magnum sententiae meae momentum affert unanimis Medicorum consensio, cum, qui inter clarissimos nostri aevi viros WEIKARDO absque limitatione assensum praebuerit, sciam neminem. Fere omnes largiuntur, plurimis in casibus locum habere apoplexiam nobis dictam nervosam; ast omnes etiam non negant, fieri saepe sanguineam aut ex aliis comprimentibus oriundam caussis. Praeter supra iam excitatos auctores huc pertinent Cll. viri, CULLEN (*a*),

(*a*) First lines l. c. praecipue §. 1038. 1052. Idem §. 1057. monet, si sanguis accumulatus vel extravasatus post mortem in apoplexia defunctis reperiatur, non statim inferri debere, illum caussam morbi fuisse. Posse omnino in tali casu vim nerveam immediate sublatam esse, cum omne id,

SELLE (*a*); & ſupra laudatus Anonymus (*b*). Ipſe Ill. MEZGER (*c*) gravis ille WEIKARDI adverſarius, apoplexiam noſtram nervoſam admittit, quam *ſine materie* appellari poſſe cenſet, quorſumque praeprimis commotionem cerebri & mortes ſubitaneas ex vehementioribus animi affectibus refert. Aſt nomen illud: *ſine materie* non ſatis mihi quadrare videtur, cum a cauſſis quibuſdam materialibus e. g. arthritica, pſorica &c. apoplexiam etiam nervoſam quandoque produci, ex rationibus infra proponendis exiſtimem.

§. VII.

Quid ex analogia apoplexiae cum paralyſibus concludere liceat?

Ex praeſtantioribus, uti omnis doctrinae, ita etiam ſolidioris pathologiae & praxeos medicae adminiculis merito habetur analogica concludendi ratio. Iam vero monente CELSO apoplexia quid aliud eſt, quam univerſalis pa-

---

quod vim nerveam tollat, etiam circulationem ſanguinis lentiorem reddat, & accumulationem promoveat. CULLENIUS igitur id quandoque ex vaſorum paralyſi oriri putat, quod WEIKARDUS ex ſpaſmo eorundem derivat.

(*a*) L. c. p. 367.
(*b*) Allg. d. Bibl. II. cc.
(*c*) L. c. p. 75.

ralysis? Depromamus igitur pauca ex aetiologia earum paralysium, quae magis particulares sunt, neque universi corporis motus animales simul prosternunt, & an ex iis quaedam in nostram rem inferri legitime queant, paucis videamus. Paralyses ex innumeris fere longeque a se invicem diversis induci caussis ex Medicorum monumentis constat (a). Aliarum in irritamentis variis fons latet & scaturigo v. c. colluvie primarum viarum, exanthematibus tam acutis quam chronicis retropulsis, ulceribus vetustis intempestive occlusis, acrimoniis specificis uti venerea, arthritica & s. p. Hae quidem paralyses saepissime symptomata irritationis secum gerunt v. c. membrum paralyticum quandoque subitaneis convulsionibus quatitur &c. Aliae a venenatis extrinsecus allatis caussis oriuntur, praecipue vaporibus metallicis, arsenicalibus puta, saturninis & mercurialibus. Aliae ex medullae spinalis vel nervorum compressione natales ducunt; sic vertebrarum spinae dorsalis luxationem paralysin inferiorem corporis partium inducere constat; paria-

(a) CRAMER Diss. de paralysi. Goett. 1760. CORNEL. PEREBOOM de paral. inprimis nervea. BEIREIS de paral. gravissima femorum. Helmst. 1762. &c.

pariaque interdum perpetrare cyphosin, POTT (a) docuit. Quid quod ab extravasatione sanguinis intra calvariam, a cranio alicubi a vi externa impresso &c. non tam saepe ipsam apoplexiam, ac paralyses singularum partium corporis observarint auctores de capitis laesionibus. Ad paralyses ex nervorum compressione illae quoque pertinere videntur, quae ex caussa sanguinea i. e. summa plethora, fluxu quocunque sanguineo incaute cohibito, variis corporis exaestuationibus &c. originem trahunt. Aliae denique ex caussis insigniter debilitantibus, nimio nervorum usu (sic a luce solis vividissima diu oculum feriente induci potest amaûrosis) systematis nervosi totius debilitate procedunt, quorsum etiam commotio pertinet, cum vehemens in medullam spinalem ictus inferiores corporis partes confestim paralysi afficiat, veluti cerebri commotio totum corpus. – Ex quibus omnibus satis patet, non ex sola nervorum compressione oriri paralyses; sed a permultis aliis caussis, quas comprimendo agere vix ac ne vix quidem sumi potest. Neque ullus unquam Medi-

(a) Remarks on the Palsy of the lower limbs caused by a curvature of the spine &c. Lond. 1779.

corum ſuſpicatus eſt, cauſſas inſigniter debilitantes, nimiam nervorum actionem, irritamenta nervos irruentia (*metaſtaſes nervoſae* BRENDELII, TISSOTI), venena vaporum forma applicata vel ingeſta, nervos comprimendo ſiderationem inferre; ſed potius alia quadam ratione vim nerveam propius afficere, omnes perhibent, licet quo praeciſe modo hoc fiat, humanam lateat intelligentiam. An igitur ullam involvit abſurditatem, annon potius maxima gaudet probabilitate, aliis ſimul conſideratis rationum momentis ad certitudinem fere evehenda, paralyſin univerſalem i. e. attonitum morbum non ex ſola compreſſione encephali oriri, ſed ex alia etiam cauſſarum claſſe, ſyſtema nervoſum immediate afficiente, eiuſque ſubito delente energiam & activitatem.

§. VIII.

Differentiarum apoplexiae conſpectus.

Ut ſententiam meam de variis apoplexiae ſpeciebus, deque diverſis cauſſarum illius remotarum agendi modis ſummatim declarem, ſequentem tabulam ſubiungere placuit; & unamquamque cauſſam effatis quibuſdam auctorum praecipuis, & obſervationibus nonnullis in Medicorum monumentis annotatis, confirmare.

Apoplexiae duo cum Cel. CULLEN (*a*) statuo summa genera. Oritur nempe

I. *Ex compressione*, quam cum Cl. NICOLAI (*b*) dispesco in illam, quae fit

A. *A fluidis*, & quidem

1) *Sanguinis* in encephalum congestione vel effusione, quae excitari potest

a) *A spasmo* in inferioribus vel externis regionibus corporis. Huc refero

α) *Apoplexiam febribus intermittentibus* (*c*) sic dictis malignis iunctam.

C 2

(*a*) First lines Tom. III, cap. de apopl.

(*b*) Diss. de quibusdam ad apopl. spectantibus. Ien. 1771. §. VII.

(*c*) *Apoplexia febricosa* SAUVAGES Nosol. Gen. apoplex. sp. 9. Praeter SYDENHAMUM, MORTONUM, BAGLIVUM, TORTIUM, WERLHOFIUM, SENACUM, & Ill. MEDICUM, huc pertinet exemplum luculentissimum in Cl. WIRTENSOHNII Diss. de opio p. 62. & in praefatione *zur Münsterschen Medicinalordnung* narratum. Sustulit nempe Ill. C. L. HOFFMANN Laudani liquidi guttis octogiata una vice exhibitis paroxysmum febris intermittentis apoplecticae, manifesto indicio, solum spasmum in caussa fuisse. Similem historiam habet Ill. MEZGER Adversar. II. p. 98.

β) *A. Abdominalis* (*a*), biliosa nempe, verminosa (*b*), ex cruditatibus s. ingluvie, inprimis flatulenta (*c*), calculosa (*d*), ex obstructionibus denique aut aliis

---

(*a*) Hanc quidem quandoque per solum consensum absque notabili sanguinis in capite accumulatione oriri infra demonstrabitur; saepe tamen omnino per congestionem fit, eoque nomine huc pertinet. Caeterum vid. b. SCHROEEDERI Diss. cit. MOLL Diss. de apopl. biliosa. Goett. 1780. HEINEKEN Diss. de morbis nervor. &c. Goett. 1783. §. XXX. NICOLAI Diss. cit. §. XVII. RAHN mirum inter caput & abdom. commerc. p. 82. Ill. GRUNER krit. Nachr. von klein. med. Schr. II. p. 125. FRIZE med. Annalen I. p. 122.

(*b*) SAUVAGES l. c. sp. 14. Journal de Méd. 1762. Juill. SAM. SCHAARSCHMIDT med. und. chir. Nachr. T. I. no. 68. MORGAGNI l. c. p. 24. VAN DEN BOSCH constit. epid. vermin. 1779. p. 77. sq.

(*c*) MORGAGNI p. 42. Potest tamen quoque plenus ventriculus vasa in abdomine, licet non aortam ipsam, comprimere & hac ratione sanguinem absque concurrente spasmo ad caput urgere, & apoplexiam excitare, praecipue cum pleno ventriculo respiratio cum difficultate fiat.

(*d*) Ex calculis felleis vel urinariis spastica pathemata creantibus. Vid. HOFFMANN med. syst. cap. de apopl. Thes. path. X. WEPFER l. c. p. 445. sq. FABRICIUS in A. N. C. Vol. X. p. 117. MORG. l. c. p. 17. 18. 24.

viſcerum hypochondriacorum vitiis oriunda (*a*).

γ) Ab intenſo gelu peripheriam & inferiora corporis ſtringente, ſanguinemque ad partes internas, praecipue encephalum urgente (*b*).

δ) Etiam acrimoniae variae (*c*) e. g. arthritica (v. infra §. IX.), rheumatica (*d*), pſorica (*e*) ab ulcere antiquo intempeſtive coalito (*f*) ſudoribus pedum vel

C 3

(*a*) *Apoplexiam ſuſpirioſam* SAUV. ſp. 10. & SAGAR ſyſt. morb. ſp. 11. p. 555. & *gaſtrodynicam*. SAGAR l. c. p. 556. ſp. 17. ad praecordialem quoque pertinere, confirmant cauſſae, phaenomena, medela.

(*b*) HOFFMANN med. ſyſt. II. p. 48. WEPFER l. c. p. 384. hiſt. XVI. Veroſimiliter tamen non ſola congeſtione ad encephalum frigus necare, infra monebo.

(*c*) V. SWIETEN Comm. III. p. 275--6. Notandum interim, hanc apoplexiam metaſtaticam non ad ſpaſmodicam ſolum, ſed partim ad nervoſam, partim ad idiopaticam, infra recenſendam pertinere.

(*d*) STOLL rat. med. III. p. 133.

(*e*) WEIKARD Verm. Schr. I. p. 98.

(*f*) WEIKARD l. c. p. 92. Eph. N. C. IV. p. 488.

genitalium suppressis (a) attonitum ciere possunt morbum. An huc quoque referre liceat apoplexiam a vesicatorio magno toti capiti imposito ortam in viro cephalalgia & doloribus arthriticis diu laborante (b)?

ε) A. Epilepsiam aliosque morbos convulsivos insequens (c).

ζ) Venena *vel* in ventriculum ingesta, spasmosque in abdomine creantia, *vel* vapores venenati, pulmones stringendo suffocantes, & congestionem creantes (d).

η) Animi affectus (e), praecipue

(a) PIQUERII Prax. med. I. p. 42. WEIKARD l. c. p. 104.
(b) SCHAARSCHMIDT l. c. T. III. p. 137.
(c) *Apoplexia epileptica* SAUVAGES l. c. sp. 8. MARTIANUS in l. HIPP. de glandul. v. 103. iam annotavit, plerosque epilepticos apoplexia enecari. V. etiam FORESTUS Obs. Med. X. Obs. 78. A strangulatione, dilatatione, obstructione vasorum in epilepsia varices oriri, ex HIPPOCRATE & exemplo confirmat LANCISIUS de subitaneis mortibus p. 28. & 54.
(d) UNZER med. Handb. p. 511. Cel. GMELIN Gesch. d. Gifte 1. p. 190.
(e) MANGOLD Diss. apoplexiae plures praeter sanguineam & serosam dari species 1765. §. XIII.

ira ; in qua facies rubicunda satis declarat, congestionem versus caput fieri.

b) *Absque spasmo ;* Huc spectant praecipue illae caussae, quae plethoram veram vel orgasmum sanguinis caput petentem ingenerant. Ebrietas, insolatio, membri magni amputatio, nimia ciborum ingestio, difficilis vel suppressa haemorrhagia consueta (*a*) neglecta sanguinis missio, strangulatus, vitia in thorace varia, sanguinis ex capite reditum retardantia (*b*), polypcsae concretiones (*c*) in va-

apoplexiam ex vehementiori animi commotione ad convulsivam referendam esse censet. LANCISI l. c. eosdem effectus ex vehementibus animi affectibus observavit quoad vasa encephali, ac in epilepsia (cf. not. h.).

(*a*) BAGLIV. Opp. omn. p. 339. SCHULZE r. SCHMID de viro apoplexia ab inconsulta haemorrhoidum suppr. extincto. Altorf. 1722.

(*b*) CULLEN l. c. §. 1040. no. 2. Tumor in pectore comprimens cavam superiorem & apopl. creans de LA MOTTE, Traité complet de Chir. II. p. 186. caeterum cf. omnino S. S. ADAMI Diss. de caussis quibusdam specialibus apoplexiae Hal. 1764.

(*c*) *A. polyposa* SAUV. sp. 11. BOHER. & v.

sis maioribus, carotidibus, iugularibus; ipsaque cerebri & menyngum inflammatio & mors fulmine tactorum aliqua ex parte (a) huc pertinent. Neque minus varii thoracis inflammatorii morbi, peripneumonia (b) angina vehementissima &c. respirationem intercipientes. Vehemens denique in caput ictus, sanguinei vasis in cerebro rupturam atque effusionem cruoris excitans (c).

SWIETEN §. 1001. WEPFER l. c. p. 116. 181. DE HAEN rat. med. IV. p. 173. 177.

(a) Ill. GRUNER Semiot. §. 939.

(b) KREBS Diss. de apoplexia peripneumoniam iudicante. Helmst. 1780. Plerosque, quos tussis convulsiva necat, mori apoplexia, docet SAVOYE Diss. de tussi convulsiva. Friburg. 1780. vel Ill. GRUNER Kritisch. Nachr. II. p. 33.

(c) Auctores de capitis laesionibus praecipue PETIT Suppl. au Traité sur les malad. chir. Apoplexiam *traumaticam* vocat SAUVAGES & cum illo SAGAR omnem illam, quae a capitis laesionibus inducitur. Cum interim hae laesiones mirum quantum differant, i. e. commotio cerebri sola absque extravasatione, apoplexiam plane oppositi generis (*nervosam* nempe) ac extravasatio creet, appellationem istam generalem non satis convenire patet, & omnium minime Nosologos in multiplicandis morborum speciebus alias adeo liberales decere.

2) A colluvie alius fluidae materiae cerebrum inundante. Metastasi lactea (*a*), purulenta (*b*) urinosa (*c*), coryza, aliaeque excretiones serosae suppressae (*d*) metastasis ad cerebrum in febribus malignis, putridis nervosis lentis, a variolis aliisque exanthematicis morbis, materia acris cuiuscunque generis repulsa (*e*), hydrops cerebri (*f*), suppuratio, exulceratio, erosio cerebri (*g*) eiusque mem-

(*a*) LEVRET art des accouch. ed. 3. Paris 1766. §. 874. sq. DELEVRYE trait. des accouch. Par. 1770. §. 1059. PUZOS trait. des accouch. Par. 1756. p. 234. 387.
(*b*) VALSALVA ap. MORGAGN. l. c. p. 38. ADAMI d. cit. §. 16.
(*c*) WILLIS de urinis p. 369. BONET sepulchr. T. I. p. 128. BOERHAAVE Prael. acad. Ill. p. 315.
(*d*) SCHAARSCHMIDT l. c. T. I. p. 317.
(*e*) Haec tamen praecipue spasmodicam vel nervosam apoplexiam creat, uti alibi fusius dicetur.
(*f*) BRUNNER apud WEPFER l. c. p. 427. Mortem ab hydrope cerebri interno inductam huc quoque referre haud incongruum videtur. Vid. WHYTTWORKS p. 723. sq. Ill. MURRAY, Praeceptoris mei aeternum venerandi not. ad ROSENSTEINII Libr. von d. Kinderkr. edit. IV. p. 601. Chr. F. LUDWIG de hydrope cerebri puerorum Lips. 775. ODIER in mém. de la Société Royale de Méd. a. 1779. no. XIII.
(*g*) MORGAGN. Ep. V. no. 2. 4. 6. 11. &c. Ill.

branarum, humor atrabilarius versus encephalum raptus (*a*), pituita & gluten (*b*), aer (*c*) vel aqua (*d*) intra menynges obhaerescens, pinguedo exsuperans (*e*). Notandum tamen, non unum semper horum vitiorum post mortem reperiri, sed multiplici saepe ratione complicari. Sic e. g. VALSALVA (*f*) in apo-

MEZGER Verm. Schr. II. p. 200. Plura vid. in §. XVI.

(*a*) SAUV. sp. 12. *A. atrabilaria* v. SWIETEN III. pag. 264. BOERH. morb. nerv. pag. 536. MANGOLD l. c. §. XII. Non tamen sola tenacitate apoplexiam producit humor atrabilarius; sed etiam acrimonia. SWIETEN l. c. p. 275--6. Idem p. 264. plerumque per consensum encephalum turbare humorem melancholicum.

(*b*) MORGAGN. l. c. p. 18. 27. 28. 29. 31. 37. COLUMBUS de re anat. L. XV. p. 265--6. *Apoplexia pituitosa* SAUV. sp. 7. & SAGAR l. c. p. 554. Hae senes cachecticos, pituitosos obesos prehendit, & ad nervosam forte aliqua ex parte pertinet. Ex sanguine enim, tali qualitate peccante, inquit SCHREITER de apopl. Marburg. 1748. §. V. spiritus boni animales ac sufficientes non separantur.

(*c*) WILLIS anat. cer. cap. IX. p. 117. MORGAGN. l. c. p. 37. 41. SWIETEN §. 647. MANGOLD l. c. p. 28.

(*d*) SWIETEN III. p. 262.

(*e*) TISSOT Epist. p. 325.

(*f*) Ap. MORG. p. 12.

plexia defuncto hydropem cerebri, haemorrhagiam cerebri & erosionem simul reperit.

B) Etiam *solida* encephalum *comprimere* & hac ratione morbum nostrum inferre possunt. Exostoses cranii (*a*) internae, steatoma, lapides cerebri (*b*), ossescentia & chondrogenia vasorum (*c*) varicosus eorundem habitus, aliique (*d*) tumores.

II) *Apoplexia absque compressione*, nobis *nervosa* dicta. Cum ad eas, quae huc pertinent, species, sequens tractatio omnis spectet, hic tantum verbo praecipuas indicare lubet. Est nempe vel *cum materie* & quidem 1) in corpore ipso genita e. g. arthritica; psorica, biliosa &c. 2) externe applicata aut ingesta, quorsum venena varia referenda & venenati halitus vel *sine materie* e. g. ex inanitione, vehementioribus animi affectibus, commotione cerebri & s. p.

(*a*) SCHOBER ap. WEPFER p. 508.
(*b*) MECKEL ap. ADAM. p. 16.
(*c*) MORG. p. 18. 19. 23. 25. 40.
(*d*) E. g. tumor saccatus in ventriculo cerebri anteriori sinistro ADAMI l. c. p. 15.

§. IX.

Apoplexia praecordialis.

Ordiamur itaque ab illo morbi attoniti genere, cuius fons & ſcaturigo in imo latet ventre. Animus hic non eſt, obſervationes de ilio collectas exhibere, quippe quod ab aliis ſatis ſuperque iam praeſtitum; ſed tantum variis ex rationibus & Medicorum obſervatis demonſtrabo, vitia in abdomine haerentia quandoque per ſolum conſenſum apoplexiam inferre, abſque ulla ſanguinis in encephalum congeſtione, aliove ibidem producto vitio topico. Negari quidem nequit, a vitiis in abdomine interdum ſpaſmos creari, qui ad caput urgent ſanguinem & apoplexiam vere ſanguineam excitant (*a*), quare etiam apoplexiam ex praecordiis ſupra (§. praec.) ad ſpaſmodicam retuli. Sed ſi conſideremus vitia abdominalia ſaepe in remotioribus partibus, praeprimis capite vehementiores effectus abſque congeſtione per ſolam nervorum ſympatiam edere (*b*), cur non etiam, ſi vehementior cauſſa fuerit, cerebrum ita poſſent afficere, ut eius actio momento tollatur, & morbus oriatur atto-

(*a*) SCHROEDER Diſſ. cit. p. 35.
(*b*) RAHN Diſſ. cit.

nitus; quod quidem eo facilius fieri potest, quo saepius systema nervosum insigniter debilitatum, & ad praeternaturales consensus pronum est in iis, quos apoplexia corripere solet. THIERRY (a) iam monet, morbum nostrum in urbibus maioribus praesertim habitare, & sequelam mollitiei, intemperantiae & debilitatis nervorum esse; assentitque ei Cl. WEIKARD (b). Agitationes animi nimias, tam frequentes apoplexiae caussas praecipue perturbando praecordia efficaces se praebere, SCHROEDERI (c) sententia est; systema igitur nervosum iam vehementer commotum, agitatum, debilitatum erat, antequam bilis effusio fieret, & evaderet funesta apoplexiae genitrix. Porro tradit THIERRY (d), se quam plurima lustrasse cadavera apoplexia defunctorum, semperque non nisi levissimam sanguinis in vasis accumulationem reperisse; an non maxima verosimilitudine gaudet, ex his multis aliquos saltem apoplexia abdominali periisse cum illa SCHROEDERO & multis aliis docentibus omnium sit frequentissima. Paralyses saepe ex ventriculo trahere originem, inter omnes constat; sic nuper adhuc vidi hominem annosum hemiplegia corre-

(a) Med. exper. p. 147.
(b) L. c. St. I. p. 102.
(c) Diss. cit. §. VIII. p. 21.
(d) L. c. p. 143.

ptum, & sola emesi & catharsi sanatum; amaurosеos creberrima ex abdomine origo, quis est, quem fugiat? Quid ex hisce in nostram rem concludi possit, §. VII. docuit. Coronidem hisce rationibus imponat ipsa experientia, qua constat satis numerosa, praesentaneum effectum persaepe hic emetica praestare absque phlebotomia praegressa (licet illam aliquando, si nempe facies tumida ac rubore suffusa est, praecedere debere, negare nolim, SCHROEDERUM (a) sequens); manifesto indicio, congestionem sanguinis insignem morbum non induxisse; quia nempe tunc vomitus exacerbare debuisset, non imminuere illum. Deinde in apoplexiae biliosae insultu faciem non semper rubicundam esse, sed adeo expallescere interdum, probabile est; licet ab auctoribus vix expresse notatum sit. Memorabilis igitur mihi videtur casus, quem nuper hic loci accidisse a viro fide digno, artisque perito audivi iuvenis viginti fere annorum ex nimio farciminum esu, subito prostrati ac soporosi, sola emesi absque praegressa plebotomia restituti, facie semper naturalem habitum retinente.

Febrium apoplecticarum intermittentium & exacerbantium fomitem in abdomine plerumque latere, cuilibet notum est. Non reperimus men-

(a) Diss. cit. §. XII.

rionem de aliqua memorabili cerebri labe, ut idiopathica caussa (*a*). Ill. MEDICUS (*b*) dissecuit duo apoplexia periodica extinctorum cadavera, reperitque encephala integerrima sanissimaque, in abdomine vero ubique diffusam bilem. - In colica biliosa alia inter nervosa symptomata frequentem quoque observavit apoplexiam WERLHOF (*c*). - Caeterum praeter consensum etiam particulae quaedam biliosae acres ex primis viis in massam humorum delatae, & nervos immediate irruentes, ad excitandam apoplexiam symbolam afferre possunt.

§. X.

Apoplexia arthritica & metastatica.

Materiam arthriticam sive retentam in visceribus, nec ad articulos detrusam, sive ab his ad illa incaute repulsam, apoplexiam produxisse, observatum saepius est (*d*). Qua autem ratione materies arthritidis hunc suum exerat effectum,

(*a*) WERLHOF Obs. de febr. p. 21. MEDICUS Beobacht. I. p. 379.
(*b*) Gesch. period. Krankh. B. II. p. 299.
(*c*) L. c. p. 28. not. b.
(*d*) Vid. SWIETEN T. III. p. 376. IV. p. 538. MUSGRAVE arthrit. p. 129. WEIKARD Verm. Schr. II. p. 69.

disquirere operae pretium est, cum in medela ad illam sollicite respiciendum sit. Duplici quidem modo apoplexia ab hac caussa inferri posse videtur. *Vel* podagricus humor irritando nervos, per eorum satis notum in arterias imperium sanguinem ad caput urget, qui tunc sensorium commune premendo morbum nostrum infert. Hac ratione pertinet apoplexia arthritica ad spasmodicam (cf. §. VIII.), quae tunc praesertim locum habere videtur, si retrocedens materia non encephalum ipsum, sed alias internas partes, capite humilius locatas irruit. Diagnosis hic desumitur a signis spasmi & congestionis simul praesentis. *Vel* acrimonia incognita quadam ratione (an per spasmum uti LE CAT & WEIKARD credunt?) sensorium commune immediate afficit, eiusque suspendit actionem, sanguinis effusione concurrente nulla vel tantum symptomatis instar accedente. Consentit CULLEN (*a*) in apoplexia arthritica caussas comprimentes encephalum ac nervos post mortem non reperiri.

Priorem illum agendi modum unicum esse Ill. MEZGER (*b*) censet, adeoque WEIKARDUM materiam arthriticam pro unica apoplexiae caus-

(*a*) L. c. §. 1057.
(*b*) Verm. Schr. I. p. 73. 74.

caussa habentem; caussam remotam ut proximam consideraffe, & praecipitata conclusione reliquas exclusisse. Licet interim lubenter largiar, apoplexiam arthriticam in plerisque casibus ad spasmodicam pertinere, eam tamen aliquali ratione etiam nervosae accensendam esse, vix iri poterit inficias. Quis enim materiam morbosam tam acrem, ut in artubus haerens nervos gravissimis cruciatibus distorqueat, existimabit interiora petentem nervos relicturam esse intactos nec pessime mulctaturam? Maxima mihi gaudere videtur probabilitate ea sententia, quae materiam arthriticam tum systema nervosum ipsum irritando ac stupefaciendo, tum simul vasorum spasmos sanguinem ad caput pellentes & in cerebrum effundentes, ciendo funestam suam exerere sumit efficaciam (*a*). In rem meam hic vertere licebit assertum CULLENII (*b*) sectiones cadaverum facile fallaciae in concludendo occasionem subministrare posse, dum apoplexia arthritica, quam ad solam nervosam refert, & sanguinea *simul*

(*a*) Polyposam quoque apoplexiam interdum ab arthritide oriri, confirmare videtur exemplum ab HAENIO rat. med. IV. p. 191. narratum, ubi post diu praegressam arthritidem lenta mors sequebatur, & in vasis sanguiferis omnibus unus cohaerens polypus; quasi funis polyposus reperiebatur.
(*b*) §. 1056.

adesse potuerit. Curationem igitur in plerisque casibus sanguinis per phlebotomiam a capite derivatione, epispasticis materiem peccantem ad externas corporis regiones revocantibus, tum denique excitantibus contineri, in propatulo est.

Superest, ut paucis rimemur sententiam praeeunte LE CATIO nuper a Cel. WEIKARDO (*a*) declaratam, apoplexiae unicam materialem caussam esse materiam arthriticam. Rationes quidem haud contemnendas & praecipue sequentes affert. MORGAGNUM observationibus evicisse, arthriticis symptomatibus obnoxios lithiasi tandem aut *apoplexia* enecari. Quae ad apoplexiam disponunt caussas occasionales, luxuriem, otium, studia immoderata, iram &c. etiam arthritidi patrocinari. Vere & autumno, tempestate frigida & humida plerasque observari apoplexias, HOLLERII, HOMII, FORESTI, TISSOTI, CRAMERI auctoritate confirmat; iisdem quoque temporibus paroxysmos arthriticos adstringi. Denique experientiam docere crebram manifestamque apoplexiae ex caussa arthritica originem. – Nimis autem fere amplum est imperium, quod praedilectae sibi arthriticae materiae tribuit Cel. Auctor, quamvis illam saepe attoniti morbi caussam esse, nemo negaverit. Ad-

(*a*) L. c. St. I. p. 92.

ductas praeterea rationes dolendum est non ubique satis convincentes esse. An non enim ver & autumnus, tempestas frigida & humida aeque favent biliosis morbis, aliisque, quorum fomes praecordiis inhaeret, ac arthritidi? & nonne inde aeque facili opera demonstrare possemus, apoplexiam non nisi ex abdomine oriri? An non luxuries, venus immodica, ira &c. ad eundem revocari fontem? An non, uti quaerit Ill. MEZGER (*a*), aer humidus insigni quoque, qua pollet, circulationem humorum turbandi efficacia, apoplexiam excitare posset, absque concurrente arthritide? - Convenientissimum sane erit, attonitum morbum, uti plures alios, non ex praeconcepta hypothesi ad unicam caussam restringere, sed earum varias statuere. Materies igitur apoplectica, docente saepius laudato MEZGERO (*b*), appellandum est omne id, quod qualicunque ratione nimiam sanguinis ad caput congestionem, eiusque vel scri ex vasis effusionem creare potest; & addo, omne id, quod sensorii communis energiam immediate suspendendi & vim nerveam subito delendi facultate gaudet. - De apoplexia nervosa *sine materie* infra dicetur uberius.

(*a*) L. c. B. I. p. 74.
(*b*) Ibid. p. 75.

Etiam aliae, praeter arthriticam, acrimoniae e. g. rheumatica, fcabies repulfa, ulcera intempeftive exficcata (*a*) defluxiones antiquatae, incaute cohibitae, eryfipelas introverfum, trichoma abfciffum &c. apoplexiam, quam SAUVAGES & SAGAR *metaftaticae* nomine infigniunt, interdum excitare confuerunt. De hac fpecie, quoad cauffarum agendi rationem, eadem valent, quae de arthritica modo propofuimus. Vel enim fpafmum & congeftionem creando vel immediate fyftema nervofum turbando efficaces fe praebent huiufmodi acrimoniae, & pofteriori hoc nomine ad apoplexiae nervofae fontes referri merentur.

§. XI.

Apoplexia ex inanitione.

Dudum antiquiores de illa locuti funt. Sic v. c. PETRUS PAAW (*b*) apoplexiam a cauffa

---

(*a*) Ipfe nuper talem cafum vidi in Nofocomio academico, ubi ulcera pedum vetufta & cuicunque curationi pertinaciter refiftentia, ope carbonum ignitorum, methodo FAURIANA aliquoties de die approximatorum tam celeriter exficcabantur, ut fopor oriretur, qui certe in lethalem tranfiiffet apoplexiam, nifi efficacioribus revellentibus cruribus applicatis recruduiffent ulcera.

(*b*) Succentur. Anatom. L. B. 1616. p. 109.

interna fieri notat, quatenus ſpiritibus animalibus exitus vel *aditus* denegetur &c. Neque SYDENHAMO (*a*) ignota fuit apoplexia ex inanitione. Ait enim ille, interdum confeſtim a partu laborioſiori vel ubi magna ſanguinis vis ſimul eiecta eſt, apoplexiam fieri, quam ſecus ac SAUVAGES, qui illam *hyſtericam* vocat, a collapſu vaſorum cum BOERHAAVIO (*b*) derivat MANGOLD (*c*). Nec BOERHAAVIUS apoplexiam ex vacuatione nimia reticet. Impedimenta enim ſanguinis ad caput appellendi (*d*) pro cauſſa agnoſcit, & alibi (*e*) defectum eius materiae, unde ſpiritus animales ſecerni poſſent. Idem alio loco (*f*) diſerte demonſtrat apoplexiam quandoque oriri a ſanguinis inopia, & praeprimis eam, quae ab inſigni in partu haemorrhagia oritur, huc refert, quam HIPPOCRATI iam notam fuiſſe docet (*g*). In iis, qui

(*a*) Opp. univ. p. 388.
(*b*) De morb. nerv. p. 652.
(*c*) Diſſ. cit. §. XIII.
(*d*) Inſtit. Med. §. 860. no. 4.
(*e*) De morb. nervor. p. 643.
(*f*) L. c. p. 652.
(*g*) Patet ex hiſce, valde eſſe lapſum Cl. PEZOLD dum apoplexiam ex inanitione HIPPOCRATI, SYDENHAMO, BOERHAAVIO plane ignotam fuiſſe perhibet Diſſ. de apoplexia ex inanitione. Goett. 1783. §. 3. Ex ſolo quippe ſilentio

ſanguinis magnam vim perdiderunt, aut aliis quibuſcunque cauſſis debilitati & exinaniti ſunt, collapſum vaſorum & ſubſtantiae cerebri & concretionem adeo evenire, cenſet MANGOLD (*a*), cum MECKELIUS (*b*) eiuſmodi in caſibus ſubſtantiam cerebri inſtar corii campactam deprehenderit. Etiam DE HAEN (*c*) apoplexiam ex inanitione commemorat; & TISSOTUS (*d*) ſive, inquit, ſpiritus animales ſecerni impediantur, & diſtribui, ſive *exauſtis viribus deficiant*, oritur apoplexia. Idem vidit huius morbi ſpeciem, in qua debilitatem genuerant abdominis obſtructiones, laeſa digeſtio, & impedita nutritio, quam prudenti virium conſervatione & impactorum ſolutione debellare iubet. – Praecipue vero haemorrhagiae magnae atque veloces, aquarum hydropicarum copia inſignis una vice educta, depletus ab inciſa ſpina bifida ſubito hydrocephalus, diarrhoeae copioſiſſimae exhaurientes in cauſſarum cenſum hic veniunt. Neque minus monente TISSOTO (*e*) apoplexia ex defectu ſpiri-

---

in SWIETENII commentariis de haec apoplexiae ſpecie ita iudicavit.

(*a*) L. c. §. XXVIII.

(*b*) ADAMI Diſſ. cit. p. 9.

(*c*) Rat. med. T. IV. p. 183.

(*d*) Epiſt. p. 326.

(*e*) L. c. p. 327.

tuum eſt illa, quae in morbis longis ſubito necat. Sic bene Cl. PEZOLD (*a*) in tabidis haud raro apoplexiam ex inanitione, vitae filum abrumpere exiſtimat. Illis enim quandoque ad ultimum uſque vitae halitum ſpem ſupereſſe ſalutis, conſtat; mortiſque poſt ſummam per colliquativas excretiones inductam exhauſtionem contingentis celeritas huic ſententiae favet. Mors ſubitanea, quae in ictero diuturno conſummatoque interdum evenit, quamque aliquoties ſe vidiſſe teſtatur Ill. TISSOT (*b*), eodem auctore ad apoplexiam ex viribus exhauſtis pertinet; tum quoque, quae pharmacophilos continua medela mortem, quam effugere conantur arceſſentes, quandoque abripit. Illa demum, quae ſenilem maraſmum excipit, aut quos longae fregerunt curae, occidit. Egregium exemplum narrat HAENIUS (*c*) foeminae 102. annorum ex virium defectu tandem apoplexia defunctae. Cruor ater effuſus ſub cranio deprehendebatur, qui antea iam ſatis debilitatum encephalum premens ſine dubio apoplexiam induxit.

Sunt qui apoplexiam ex inanitione fieri pla-

(*a*) Diſſ. cit. p. 11.
(*b*) L. c.
(*c*) L. c. p. 163.

ne negant, eamque animi potius deliquium vocandam esse censent v. c. SAUVAGES, SAGAR (*a*), Cl. NICOLAI (*b*), & ipse Cel. WEIKARD (*c*). Si interim ita comparata est humorum profusio, ut non satis versus encephalum sanguis possit promoveri, licet circulatio per pulmones & aortam descendentem adhuc continuetur, verae apoplexiae imaginem inde oriri patet. Licet praeterea, si caussae exinanientes ac debilitantes leviores sint, inde oriundum morbum lipothymiam vocari posse, non repugnem, in gravioribus tamen si homo subito concidit syderatus, mortique proximus, tot gravissimis viris praeeuntibus apoplexiam hoc symptoma vocare, magis conveniet. Deinde etiam in morbo isto ex inanitione consequente, spasmus ille vasorum & systematis nervosi quandoque contingere videtur, qui secundum WEIKARDI sententiam, vera & proxima apoplexiae caussa est; uti ex sequenti, quem haud ita pridem videre contigit, ad credendum inducor casu. Mulier gravida robusta satis ac torosa, brevi ante partum, spontaneo ac per vice redeunte, a separata forsan placentae parte oriundo, sanguinis ex naturalibus profluvio infestabatur; quod ad sedan-

(*a*) L. c.
(*b*) Patholog. B. IV. p. 138.
(*c*) L. c. I. p. 105.

dum ipsi a rerum ignaro, insuper vena secabatur. Sub ipso partu, qui difficillimus erat & forcipe applicató absolvi debebat, sanguinis fluxus sueto largior continuabat, & educta placenta tam vehementer increscebat, ut congruis vix satis cito sisti posset remediis. Insignis igitur hucusque facta vitalis laticis profusio finito partu statim lethale induxit animi deliquium seu potius Sydenhamianam illam apoplexiam, sub qua *ingens spumae vis ex ore protrudebatur*, quod quidem phaenomenon sub animi deliquio nunquam solet contingere nec sine respirationis aliqua persistentia fieri potest. Licet efficacissimorum excitantium & stimulantium sedula non negligeretur applicatio, impediri tamen nequivit, quin miseram statim animam efflaret puerpera. Me quidem non fugit, vulgatissimum illud ab HIPPOCRATE iam pronunciatum dogma, convulsiones etiam ab inanitione fieri; ex quo spumam illam a spasmo ex inanitione exprimi potuisse quis suspicaretur. Cum vero hic in externis membris convulsionum ne vestigia quidem adfuerint, & totum corpus statim quasi fulmine tactum syderatumque iacuerit, sententiae meae hac ratione nullam vim inferri patet. — Firmo igitur talo stare videtur SYDENHAMI observatio de apoplexia post puerperium, licet SAGAR (*a*) illam

(*a*) Syst. morbor. p. 553.

revera dari adhuc dubitet. - Fuerunt caeterum, qui omnes ex inanitione & debilitate universali ortas apoplexias & partiales paralyses a sola vasorum sanguiferorum collapsorum in cerebrum nervosque pressione derivarunt; quam vero opinionem ab omni verisimilitudine abhorrere, sed potius systema nervosum a vacuatione nimia immediate affici, quilibet facile Cel. SELLIO (*a*) credet.

§. XII.

Apoplexia hysterica & hypochondriaca.

Apoplexiam inter hysteriae larvas iam numeravit SYDENHAMUS; saepe se vidisse TISSOTUS (*b*) testatur. Levis est plerumque hic morbus & ab animi affectibus saepe excitatur; non tamen caret periculo, cum mors reapse hysterica quandoque subsequatur; cuius exempla vidit TISSOTUS (*c*), in binis virginibus. Alterius post mortem caput tantum aperuit & encephalum *omni labe vacuum* deprehendit; alterius vero totum corpus *nullum conspicuum vitium* exhibuit. Simile exemplum idem ex HAENIO

(*a*) Med. Clin. p. 368.
(*b*) Epist. p. 328. 329.
(*c*) L. c.

commemorat. Etiam SCHROEDERUS (*a*) apoplexiam, refert, aliquando instar gravioris paroxysmi hysterici suum exercere impetum, & cum hemiplegia aut minori paralysi desinere, ubi systema nervosum valde imbecillum ac mobile est. Apoplexiam *hystericam* a SAUVAGESIO eam vocari, quae a SYDENHAMO post partum laboriosiorem multa sanguinis effusione stipatum evenire dicitur, supra (§. pr.) iam notatum est. Apoplexia hypochondriaca & vaporosa, de qua loquitur d' APPLES apud SAUVAGESIUM (*b*), secundum huius sententiam ab arthritica profecta est caussa. WEIKARDUS (*c*), itidem apoplexiam hystericam ad arthriticam refert, in sola quippe per corporis nervos dispersa arthritica materia mali hypochondriaci & hysterici fontem quaerens (*d*). Attamen plures praeter arthriticam caussas materiales in malo hypochondriaco & hysterico subesse posse; ab aliis non dubitatur, uti & ex sola praeternaturali corporis irritabilitate, nervorum teneritudine & nimia sensilitate hysteriam quandoque nasci. – Sed an quoque hoc apoplexiae genus ad nervosam referendum? Aliquando potius spasmodico-sanguinea

(*a*) Diss. cit. p. 5.
(*b*) L. c. gen. apopl. sp. 4.
(*c*) L. c. I. p. 93. sq.
(*d*) I. c. p. 112. sq.

in hyftericis apoplexia orietur, quia fpafmi hyftérici, & algores faepe his immixti fanguinem ad caput urgere poffunt. Rarius tamen hoc fiet, cum fanguinis plerumque penuria & totius corporis debilitate laborent hi aegri, quae vix fanguineae, omnino nervofae anfam dare videntur apoplexiae; quam fententiam obfervationes ex TISSOTO modo allatae ftabiliunt.

§. XIII.

Apoplexia ex intenfo gelu.

GALENUS (*a*) iam obfervat, eos, qui tempore hyemis in itineribus verfantur, fymptomatibus faepe apoplecticis infeftari. WEPFER (*b*) hiftoriam apoplexiae ex intenfo gelu memoriae prodidit. S. T. QUELLMALZ (*c*) frigore enecati cadaver luftravit & in vafis omnibus fanguinis coagula funium inftar, vafa encephali cruore turgida, & in ventriculis cerebri lympham vifcidam effufam deprehendit. Idem (*d*)

(*a*) De morbor. different. C. V.
(*b*) L. c. p. 388.
(*c*) Pr. frigoris acrioris in C. H. effectus. Lipf. 1755. recuf. in HALLER Diff. pract. T. VI. p. 205.
(*d*) L. c.

tunc praecipue apoplexiam oriri experientia confirmat, si corpus valde excalefactum fuerit, antequam frigori committeretur. Hinc patet, apoplexiam ab intenso gelu illatam praecipue pertinere ad spasmodico sanguineam (cf. §. VIII.). Non possum tamen quin adstipuler sententiae Ill. CULLEN (*a*) a frigore vim nerveam non pressione accumulati sanguinis solummodo, sed etiam immediate suspendi. HIPPOCRATES (*b*) iam annotavit, frigus valde nocivum esse cerebro, medullae spinali nervisque. SEELMATTER (*c*) Tobini nervorum morbos valde familiares esse ait, praecipue ob diu durantem hyemem. Praeterea variae rationes veniam dant, mortem frigore pereuntium aliquali modo apoplexiae nervosae accensendi. Digitos enim unicuique notum est intense frigefactos fieri stupidos & tandem tactus sensum plane ammittere. Quid ergo fiet, si encephalum ipsum gelu cogit? Haud dubie stupor totius sensorii communis & cum eo apoplexia. Illud autem revera fieri, sequens probare videtur argumentum: frigus soporem & lethalem apoplexiam tum demum infert, si valde intensum est, diuque aliquis in illo commoratur.

(*a*) L. c. §. 1052.
(*b*) Aphor. V. 4.
(*c*) Diss. cit. §. VII.

Congestiones vero sanguinis ad viscera praecipue encephalum insignes exiguo temporis spatio iam orientur, cum, quanta gelu irritante ac constringente vi in peripheriam corporis polleat, inter omnes constet. Maxima igitur saltem cum probabilitate constituitur, tunc demum penetrabile frigus funestam suam apoplexiam generandi vim exserere, si ipsam calvariam transgressum est, ipsumque tetigit encephalum. Consentit fere mecum WEPFERUS, dum ait (*a*): *Frigus sanguinem, cerebrum, & spiritus animales ita congelavit, ut nec spirituum animalium materia suppeditaretur, nec, si forte aliquid sanguinis arteriosi accederet; in cerebro & cerebello percolaretur, nec, si spiritus confecti adhuc fuissent, nervi ad loca debita detulissent.*

§. XIV.

Apoplexia pathematica.

Quanta vehementiores animi commotiones in corpus polleant efficacia: quot quantasque in systemate nervoso, sanguinis circulo omnibusque fere corporis functionibus creent turbas, nemo est, quem fugiat (*b*). Has vero inter

(*a*) L. c. p. 391. in schol. ad modo allegatam obs.
(*b*) Vid. praeter BOERHAAVIUM & HALLE-

turbas apoplexiam ipſam, quin exanimationes ſubitaneas quandoque obvenire, res eſt haud minus confirmata nec exemplis deſtituta creberrimis. Dudum ARETAEUS (*a*) immodicas animi perturbationes & ſubito incuſſos terrores pro cauſſis apoplexiae habuit. Quid quod omnium morborum vehementiores animi commotiones excipientium frequentiſſimus cenſeatur attonitus (*b*). Ipſas mortes ſubitaneas hic ad apoplexiam referre mihi liceat, clariſſimorum virorum auctoritate nixo. Cauſſae enim ſunt eaedem, curatio (apparenter enim mortui debitis auxiliis adhibitis in vitam ſaepe revocari poſſunt) eadem; ſolus mali gradus differentiam conſtituit, iuxta quam apoplexiam vocant, ſi vitales reſtant functiones, aſphyxiam vero ſi ſufflaminantur eaedem.

In limine ſtatim ſcrutinii de dicta animi pathematum funeſta efficacia, illa quaeſtio ſe offert, quanam ratione ſuam exſerant violentiam; neque ſane fruſtranea eſt ſoliuſque theoriae in uſus facta haec diſquiſitio, ſed normam

---

RUM Ill. ZIMMERMANN von der Erfahr. p. 635. ſq. Cl. DE MAREES Diſſ. de animi perturbationum in corpus potentia. Goett. 1775. & Cl. GOLDHAGEN reſp. *Geſenio* Diſſ. eiuſdem argum. Hal. 1782.

(*a*) Diuturnor. I. cap. 7.

(*b*) ZIMMERMANN l. c. p. 639.

exhibet auxiliorum cum fructu applicandorum. Id quidem extra omnem dubitationis aleam positum est, quosdam animi affectus in solum nervosum systema immediate agere; absque ulla, saltem absque notabili & ad funestum effectum sufficiente circulationis conturbatione. Idem afferit CULLENIUS (*a*), quin ipse supra allegatus Anonymus (*b*) WEIKARDO alias satis contrarius, subitaneas hasce mortes, quas ad apoplexiam referendas esse mecum consentit, a subtilioribus quandoque oriri caussis, quam vasorum encephali ruptura effusoque cruore, concedit, cadaverum, ut ait, sectionibus nixus. Non vero omnibus ac singulis animi pathematibus tanta potentia inest, ut apoplexiae excitandae sufficiant, neque omnes eadem ratione hoc praestant. Sequentes solummodo hic in censum veniunt. Rara est illa beatitudo, quae subito *gaudio* necat. Circa proximam huius mortis caussam insigniter differunt Medicorum sententiae, quae conciliari vix poterunt, nisi cadaver gaudio profuso enecati lustretur aliquando. Alii apoplexiam sanguineam esse credunt a subitanea sanguinis resolutione ac rarefactione cerebrum inun-

(*a*) L. c. §. 1052.
(*b*) Allg. d. Bibl. Vol. XLIII. St. I. p. 20.

inundante oriundam, alii excessivam spirituum animalium transpirationem, iterum alii cordis subitaneam paralysin arguunt. Sed missis hisce opinionibus ad ea, quae maiorem probabilitatem habent, accedamus. Subitanea & insigni cerebri concussione profusum gaudium, uti & alios vehementiores animi commotiones necare Ill. WEIKARD (*a*) censet. Ill. MEZGER (*b*) pathemata animi graviora v. c. profusum gaudium in exemplo a TISSOTO (*c*) allato, cerebri commotionem, illi, quae a violentia externa capiti applicata oritur, valde analogam inducere credit, & hac ratione quaestionem a se ipso olim (*d*) motam: annon detur commotio cerebri ex caussa interna? resolvit. Neque Ill. TISSOTO (*e*) apoplexiam ex compressione vel haemorrhagiam cerebri hic fieri probabile videtur, sed potius encephali absolutam paralysin, cum illam nimis vehemens animae commotio omnino inducere possit. Alias tamen quoque caussas concurrere, sentit idem (*f*) nempe subita-

(*a*) Verm. Schr. St. II. p. 71.
(*b*) Verm. Schr. T. I. p. 75.
(*c*) Epist. Med. pr. p. 218.
(*d*) Adversar. Med. P. I. p. 278.
(*e*) Maladies des nerfs T. II. P. I. p. 332--3.
(*f*) L. c.

neam spirituum dissipationem, & animi deliquium a corde, motu vehementiori peristaltico sanguinem ad corporis peripheriam pellente, seque ipsum illo privante, oriundum. An non igitur hic inanitio quaedam & encephali & cordis simul subest, cum gaudium exteriora corporis laxare omnesque augere secretiones, deplere e contrario internas partes, certo sit exploratum?

Sub ipso coitu in *oestro venereo* apoplexiae & mortes subitaneae observatae sunt praecipue in valde iam debilitatis. Exempla huius generis narrant HENR. ab HEERS (*a*), F. HOFFMANN (*b*), PIQUER (*c*). Etiam viri Ill. MURRAY & RICHTER tales, qui ipsis occurrerunt, casus narrarunt. Hocce morbi genus certe non nisi nervosum symptoma est; in valde iam enervatis ac imbecillis nova insigniter debilitans, nervosque mire concutiens (*d*) caussa accedens, ferri non potest, quin vitae filum abrumpat. Frequentissimae sunt *irascendi* occasiones & ad iram saepe proclives (*e*) apoplectici. Turgent Medicorum libri observationibus, quae narrant

(*a*) Obs. XVIII.
(*b*) Diss. de morbis ex intempestiva venere oriundis.
(*c*) Prax. Med. cap. de apopl.
(*d*) GAUBII Instit. pathol. §. 562.
(*e*) TISSOT Epist. Med. pr. p. 307.

apoplexiam iram excipientem. Mortem ira excandescentium plerumque apoplecticam esse, testatur Ill. ZIMMERMANN (*a*). Sequitur *terror* & *metus*. Apoplexia inde orta est, quae per bimestre spatium paralysin sensuum motuumque voluntariorum reliquit (*b*). Suetum mortis, quam terror inducere solet, genus, apoplexiam esse, testatur LANGHANS (*c*). Apoplexiam ex sola imaginatione & assiduo metu, se aliquando hoc morbo perituros esse, hypochondriacos interdum revera corripere, exemplis confirmavit WEIKARD (*d*). Idem (*e*) narrat apoplexiam post insignem *moerorem* tempestate frigida ac humida ortam. — Universim mihi videntur animi affectus quadruplici ratione apoplexiam inferre: 1. sola vel saltem symbolam afferente immediata in sensorium commune actione: 2. animi commotiones ope miri in praecordia imperii vitium qualecunque in abdomine producere possunt & hoc demum apoplexiam inferre (§. IX.); quare b. SCHROEDERUS (*f*) non dubitavit apoplexiam ex vehe-

(*a*) L. c. p. 641.
(*b*) Mem. de l' Ac. des Sc. Mem. 419.
(*c*) Diss. cit. §. 43.
(*d*) L. c. II. p. 19.
(*e*) Ibid. p. 68.
(*f*) Diss. cit. §. VIII.

mentioribus animi contentionibus praecordiali suae annumerare (*a*). 3. Cum animi commotiones quaedam insignem ad caput congestionem, praesertim per spasmos, quas in variis corporis partibus excitant, creent, negari non potest, hanc ad funestum effectum producendum concurrere posse. Nisi tamen simul cerebrum & nervi vehementer fuissent affecti, & ad recipiendam nocivam ab accumulato sanguine factam impressionem, quasi praeparati, apoplexiam non insecutam fuisse probabile est. 4. Diuturni tristesque animi affectus systema nervosum sensim ita debilitare possunt, ut graviuscula quaeque accedens caussa occasionalis, encephalum male mulctans, apoplexiae excitandae sufficiat. Quae quidem omnia docent, me hic non plane incongruo loco apoplexiam pathematicam posuisse.

Commode praecedenti subnecti poterit sermo de illa apoplexia, quae litteratos, sedentariam viventes vitam & animi contentionibus intentisque meditationibus deditos non raro pre-

(*a*) Sed haec explicatio ad mortes subitaneas ab animi effectibus ortas, neutiquam pertinet. Neque unquam ex gaudio observati fuerunt funesti in praecordia effectus; quare erravit egregiae Diss. de exanthematum forte abdominali nuper hic loci editae auctor Cl. WELTI, dum p. 8. mortem neptis LEIBNITII ex profuso gaudio subito consecutam, ex fonte praecordiali derivat.

hendere consuevit. Sed neque in huius apoplexiae natura rite determinanda consentiunt Medici. Congestionibus sanguinis ad caput litteratis adeo familiaribus illam natales debere, censent VAN-SWIETEN (a) & TISSOT (b). Vitam sedentariam cum animi contentionibus iunctam creare cephalalgias & serosas in encephalo accumulationes & cerebrum quasi exhaurire tradit THOMAS SCHWENCKE (c). Etiam MANGOLDUS (d) apoplexiam ex lucubrationibus nimiis ortam inanitioni collapsui & exarescentiae cerebri tribuit (§. XI.). SCHROEDERUS (e) in conturbatis viscerum hypochondriacorum functionibus illius quaerit originem. Quidquid horum sit, lucubrationes immodicas systema nervosum insigniter debilitare, frangere, exhaurire certum est; ideoque hac etiam ratione ad apoplexiam excitandam symbolam afferre. Irritatio vero, quam intentae meditationes in encephalo proferunt, quamque quilibet attentus in se ipso

(a) T. III. p. 267.
(b) Epist. p. 307.
(c) Rari casus explicatio anat. med. Hag. Com. 1733. recus. in Diss. pract. HALLER. T. VII. p. 469.
(d) L. c. §. 13.
(e) Diss. cit. p. 21.

animadvertere poteſt, congeſtiones illas creat; quas hic omni culpa vacare, neque ſaltem occaſionalem praebere cauſſam aſſerere vix ſuſtinuerim. Neque demum varia viſcerum abdominalium vitia per mirum illud caput inter & imum ventrem commercium ſuborta, in morbo attonito, qui litteratos invadere ſolet, producendo inſontia pronunciare auſim, ſive mediante ſpaſmo & abinde ortis congeſtionibus id perpetrent, ſive incognita nobis ratione conſenſuali.

§. XV.

Aliae quaedam cauſſae.

MORGAGNI (*a*) ſeu potius VALSALVA in quamplurimis apoplexia defunctorum a ſe perquiſitis cadaveribus praeter ſanguinis ſerive effuſionem *exulcerati* quid & *corroſi* in encephalo reperit. Etiam TISSOTUS (*b*) aliique ſimilia vitia deprehenderunt. Hanc corroſionem, niſi ſolam ſaepe cauſſam fuiſſe, ſymbolam tamen ad apoplexiam excitandam contuliſſe veroſimile eſt. Cl. NICOLAI (*c*) in eroſis fibris medullaribus

(*a*) Epiſt. II. no. 9. 11. 12. 13. 15. 22.
(*b*) Epiſt. p. 340.
(*c*) L. c. p. 133.

materiae nerveae motum non amplius fieri credit. Cl. WEIKARD erosiones censet caussam apoplexiae proximam fuisse, irritatione sua spasmum illum systematis nervosi inferendo; effusos humores una inventos coeffectum eiusdem caussae. MEZGERUS (a) demum extravasationem cruoris aut lymphae vel per se a propria caussa, vel ab erosione demum excitatam comprimendo syderationem produxisse sentit; quod quidem maxima gaudet probabilitate, & cum supra (§. V.) declaratis optime convenit. Cum tamen sensorium commune ab erosione omnino idiopathice afficiatur, & in ipsa sua substantia corrumpatur, quod non potest non illud alia quadam propiori ratione quam per compressionem ab effusis humoribus inductam male mulctare, ad apoplexiae nervosae caussas hanc quoque referre non dubitavi. - Quae epilepsiae & aliorum *morborum convulsivorum* paroxysmos comitatur aut excipit apoplexia, ob rationes supra (§. VIII.) allatas, ex genere plerumque spasmodico-sanguineae est. Cel. tamen CULLEN (b) nervosae annumerat, quia & hysterici paroxysmi saepe in coma quoddam desinant. Quod quidem

(a) L. c. I. p. 69. 70.
(b) L. c. §. 1054--5.

argumentum licet non omnino nos convincat; dubitari tamen nequit, a repetitis vehementiorum convulsionum insultibus systema nervosum insigniter concuti & debilitari, & ad recipiendas nocivas caussarum accedentium accumulati nempe sanguinis, & dilatatorum vasorum varicum, impressiones aptius reddi. Ex quibus, quatenus haec apoplexiae species ad nervosam pertineat, facile perspicitur. – Apoplexiae *hereditariae* integris saepe hominum familiis infelici fato privae, caussam praedisponentem in congenita encephali debilitate potissimum latere, sententia mihi videtur haud improbanda (*a*). – Notatum saepe, in *inflammationibus partium sensiliorum* v. c. ventriculi intestinorum, vehementioribus, nec non in vulneribus magnis e. g. ab amputatione, aegros subito riguisse, & quasi tetano universali correptos efflasse animam. Post mortem nulla tam cito subsequentis fati conspicua caussa deprehendi potuit. Quod quidem necis genus haud inepte huc collocari videtur; sicuti quoque subitanea totius corporis virium prostratio, quin exanimatio, quae a morborum maxime *malignorum* v. c. pestis acutissimae miasmatibus vel *contagiis* saepe sub prima invasione inducitur.

(*a*) WEIKARD I. p. 102.

Multa adhuc dicenda supereſſent de *cerebri* ſic dicta *commotione*, communiſſima laeſionum capitis ſequela; de *apoplexia electrica* SAGARII (*a*), eique ſatis analoga (*b*) morte de coelo *fulmine* tactorum; de actione *venenorum* (*c*) praecipue narcoticorum, ſyſtema nervoſum immediate (*d*) ferientium; de *vaporibus mephiticis*, praecipue illis, qui ſtupefaciunt (*e*), vel ſaltem, licet pulmones ſtringendo reſpirationem cohibeant, ſimul tamen (*f*), uti recentiora obſervata docent, vim nerveam immediate annihilandi & extinguendi facultate inſtruuntur; de apoplexia *temulenta*, non quidem illa, quae in caeterum ſanis durante ipſa ebrietate evenit (*g*),

(*a*) L. c. ſp. 9. p. 554.

(*b*) BIDERMANN Diſſ de cauſſis ſubitae mortis fulmine tactorum. Lipſ. 778. vel Ill. MURRAY in b. VOGEL Bibl. Med. VIII. p. 217. PLENCK Samml. v. Beobacht. &c. B. I. Abh. 2. UNZER Med. Handb. p. 545.

(*c*) Vid. e. g. de opio Ill. MURRAY appar. Med. II. p. 235. 239.

(*d*) Hoc revera fieri, nec ſanguine ſolummodo exagitato & rareſacto opium ſoporem inducere, inter alios bene demonſtrat REMMET Diſſ. de uſu opii in morbis inflammator. rec. in medical and. phil. comment. Vol. II. P. I.

(*e*) Cel. GMELIN Allg. Geſch. d. Gifte I. p. 181. ſq. UNZER l. c. p. 514. ſq.

(*f*) Cel. GMELIN l. c. p. 212. UNZER l. c. p. 519. ſq.

(*g*) Huius generis exempla narrant SAUVAGES l.

fed illa, quae ftrenuos inde a longo tempore potatores, quorum fyftema nervofum a crebra fpirituoforum ingeftione valde iam debilitatum, infirmatumque eft, prehendere folet &c. (*a*) — quas nempe cauffas omnes ad apoplexiam nervofam referendas effe, exiftimo; licet in quibufdam humorum fimul excitatas in encephalum congeftiones ad funeftum effectum concurrere non negaverim. Sed temporis anguftia, praefcriptique libelli academici limites ulterius difpatiari vetant, velaque iubent contrahere.

§. XVI.

Brevis ad medelam morbi applicatio.

Quam hucufque exhibuimus difputationem omnem non fola theoria utilitate caffa & ad medelam apoplexiae applicari nefcia, contineri, fed infignem omnino in curationem morbi rite determinandam exferere influxum, paucis adhuc oftendere animus eft. Conftat, antiquiores fanguineam folummodo & ferofam apoplexiam diftinxiffe, & medelam unius ab altera maxime

c. fp. 3. SAGAR l. c. p. 552--3. MANGOLD. Diff. cit. §. 25.

(*a*) WEIKARD. l. c. I. p. 98.

differentem , quin illi contrariam fere constituisse . Taxabant nempe in apoplexia sanguinea omnia vehementiora irritantia , frictiones , epispastica , (quae TISSOTUS *apoplexifera* vocanda esse censet) interna & externa cardiaca , clysmata acria , purgantia fortiora , emetica & s. p. quae omnia in serosa apoplexia optime convenire aiebant , venaesectionem e contrario illic necessariam hic funestam esse . Missa hac vice apoplexia serosa , sanguineam praecipue cum nervosa , quoad medelam unicuique competentem comparabo . Praefari vero pauca de diagnosi necessarium erit . Haec quidem duobus potissimum nititur momentis , caussis praegressis , & habitu aegroti externo . Si nempe caussae antea recensitae debilitantes , exinanientes , systema nervosum male afficientes adfuerunt , & aegri corpus inde a longo tempore infirmatum , valetudinarium , imbecillum fuit , tunc de apoplexia nervosa cogitandum erit praecipue si congestiones ad caput non valde urgere , faciem non prae rubore tumidam , nec linguam protrusam conspicimus . Sed in spasmodica etiam , quin interdum in ipsa nervosa apoplexia congestiones ad caput insignes evenire supra diximus . In priori signa spasmorum simul praesentia , hic non recensenda , medelam dirigent ; & in utraque saepe venaesectio omnino necessaria erit , quasi remedium pal-

llativum; femper vero non fine magna cautione follicitoque ad aegri vires & cauffas praegreffas refpectu fufcipienda. LE CAT (*a*) faepe fe vidiffe refert, Medicos imperitos non nifi fanguineam cogitantes cerebri inundationem, lanceolae ufui tam larga manu indulfiffe, ut miferi per fe fatis imbecilles apoplectici animam efflarent. Etiam Cel. WITHERS & GRANT (*b*), cautelas venaefectionum in apoplexia follicite obfervandas tradunt. Expleta indicatione ad venaefectionem, fi quidem aderat, ad excitantia confugiendum & irritantia, quae in fanguinea apoplexia, optime monente TISSOTO, non fine fumma cautione in ufum trahenda; fi vero nervofa eft, tunc egregium omnino praeftant effectum, faepeque fola, abfque praegreffa venaefectione, medelam conftituunt, faepiufque, ac vulgo exiftimatur, convenire, Cel. WEIKARD, theoria fua & experientia fuffultus, praecipue contra TISSOTUM monet. Caeterum hic eadem excitantia locum habent, quae fupra ab antiquis in apoplexia ferofa commendata fuiffe indicavi. De medela apoplexiae, fecundum diverfiffimas cauffas remotiores, valde variante, hic differere fuperfedeo.

(*a*) MONRO l. c. p. 363.
(*b*) L. c. Plura de hac re vid. in I. A. SCHOMBURG Diff. de venaef. in apopl. &c. Goett. 1783.

Sufficiat indicasse generales ad vanaesectionem & refrigerantia vel ad exitantia indicationes. Verbulo adhuc tangam fomentationes frigidas a Cl. CRELL (a) nuper in apoplexia valde commendatas ad imitationem medelae SCHMUCKERI & THEDENII in capitis laesionibus. Haec frigida epithemata non nisi venaesectione, si necessaria fuerit, peracta, locum habere posse, facile perspicitur. Optime conveniunt in qualibet apoplexia, praecipue etiam illa, quae a systematis nervosi subitanea atonia ac paralysi oritur; & applausum tulerunt Cll. WEIKARDI (b), NICOLAI (c), KREBSII (d), aliorumque. In apoplexia interim ex inanitione i. e. ex sola inopia humorum in encephalo oriunda, vix ac ne vix quidem admittendum erit hocce remedium.

(a) In Ill. BALDINGER N. Magazin. f. Aerzte St. I. p. 17. sq. nec non Aufzüge aus den Hallerschen prakt. Diss. B. I. p. 23. sq.
(b) L. c. St. 2. p. 73.
(c) Rec. und Curarten. p. 243.
(d) Diss. cit. p. 23.

EBERHARD. GMELIN

TUBINGENSIS

ET PRAESIDE

CHRIST. FRID. IAEGER,

DISSERTATIO MEDICO-FORENSIS

SISTENS

EXPERIMENTA DE SUBMERSIS,

CUM

SUBIUNCTO EXAMINE PHAENOMENORUM IN IIS OBSERVANDORUM

Tubingae 1779.

INcidi in Disquisitionem Medico-Forensem de aqua submersis, eamque a scopo Dissertationis Academicae non alienam existimavi, si praesertim nova ad hanc materiam dilucidandam experimenta accederent. In foro scilicet saepe quaestio exoritur, utrum quis vivus, an vero iam antea mortuus aquis fuerit iniectus. Si vivi iniecti & tunc submersi appareant signa; tunc in

plerumque vel malo erga se ipsum animo, vel temulentus, vel mala fortuna illapsus esse in aquam praesumitur; vel quoque ab aliis mortis inferendae caussa vi externa in aquas praeceps datus & submersus est. Si vero iam antea mortui, & tunc in aquas proiecti signa compareant, nascitur suspicio de nece ante submersionem allata, & de cadaveris submersione occultandi criminis caussa facta. Ut itaque iudex sciat, quid ipsi faciendum sit; quaerit ex Medico, quaenam in homine submerso adsint signa, utrum vivus an mortuus submersus sit. Multa leguntur de submersis signa, eaque diversa, sibi invicem contraria, ut Physicus, quorsum se convertere debeat, saepe anceps haereat. Experimenta ideo, quia observationes de hominibus submersis proprie mihi deficiunt, cepi in brutis, ut hac de re certior fierem. Comparavi signa in brutis inventa cum eis, quae in hominibus deprehensa sunt, examinavi haec secundum principia Medica, ut, an his conformia sint, pateat. In experimentis instituendis laudabilem mihi praestitit opem Cl. Dñus Lic. AMSTEIN, amicus meus aestumatissimus, qui omnibus, quae cepi, interfuit; insimulque idoneus testis est de eventu meorum experimentorum. Ea sunt sequentia:

Experimentum I. d. 7. m. Febr. 1769.

Canem adultum ligavi circa pedes posteriores & abdomen : appendi pondus, & canem conieci in ahenum aqua croco saturata repletum. Thermometrum Reaumurianum in aquam demissum notavit gradum 5tum supra o. Canis mox superficiem aquae petiit, & supra marginem vasis cum pedibus anterioribus iam adscendit. Exemi eum ex aqua, & ligaturam applicui circa pedes anteriores & thoracem, cui appensum est prius pondus, detrusi eum denuo sub aquam: observavi sub ipsa detrusione conatus anxios inspirationis, dum os aperiret & thoracem moveret sursum & deorsum, voluit iterum emergere, sed cum baculo detrusi eum denuo ad fundum vasis, per tria minuta percepi motum in cane, & in superficie aquae vidi bullas aereas usque ad eius mortem. Tempore quarti, post detrusionem eius sub aquam minuti extraxi canem, nulla amplius vitae indicia praebentem. In habitu eius externo nil singulare deprehendere potui, nisi oculos apertos & pupillam valde dilatatam. Secavi eum incipiendo a collo: venas iugulares inveni valde turgidas, glottidem apertam, & ante eam pauxillum aquae spumosae; aperta trachea nihil praebuit aquae. Denudavi musculos thoracis adhucdum irritabiles. Tunc dissecui abdomen,

men, musculis abdominalibus adhuc irritabilibus remotis conspiciebatur per peritonaeum motus peristalticus intestinorum, dissecto peritoneo visa sunt omentum & intestina nullo alicuius inflammationis signo notata, neque reliqua abdominalia viscera aliquid inflammatorii monstrabant, ventriculus continuit aquae flavae pauculum, lac coagulatum & plumulam. Vesica urinaria lotii modicum continuit, intestinum rectum turgebat faecibus, & anus fuit externe conspurcatus. Diaphragma fuit versus abdomen concavum, excepta regione, cui insidet cor. Nunc aperui cavitatem thoracis, per pleuram adhuc integram visi sunt pulmones ei contigui, pleura perforata receperunt se ad vertebras pulmones maculis dilute lividis notati. Exemi cum aspera arteria cor & pulmones, separavi cor, aperui asperam arteriam usque ad divisionem in bronchos, nihil aquae visum est. Bronchos postea secundum longitudinem dissecui, compressi pulmonum lobos, profluxit ex ramulis bronchiorum adinstar rivulorum aqua flava, spumosa, quae etiam per externam superficiem pulmonum transudavit. Pulmones & integri & in frusta dissecti in aqua natarunt (*a*).

(*a*) Notandum est quod aqua non potuerit mensurari,

Experimentum secundum d. 14. Febr.

Canem decem circiter dies natum, oculos clausos adhuc habentem, detinui manu sub aqua atramento saturata, aqua submersus respirationis motus edidit anxios, aquae superficiem petiit, denuo demersus thoracem movit, & omnia membra, ut effugere possit, in superficie aquae apparuerunt bullulae aerae usque ad eius mortem, quarto a detentione eius sub aqua minuto convulsionibus est affectus, toto corpore tandem obriguit, paullo post iterum eius corpus relaxatum est, & postea adhuc varios edidit motus convulsivos, tandem octavo a submersione minuto periit. Secavi catulum a collo incipiendo, vasa colli inveni valde turgida, tunc transii ad thoracem, removi eius cutem & musculos, denudavi sollicite pleuram eo loco obscure coeruleam observatam, quo ei contiguae fuerunt maculae lividae pulmonum. Aperui thoracem removendo sternum cum annexis cartilaginibus costarum, pulmones collapsi sunt, denudavi tracheam, transparuit color ater, separavi asperam arteriam a partibus vicinis, conspexi epiglotti-

partim, quia sub pressione, per quam emulgeri debuit aqua, sanguis etiam exprimebatur, partim quia tantum in parva adfuit copia. Hoc in omnibus experimentis notandum est.

dem erectam, glottidem apertam, ſpumam ante os & glottidem. Apertam tracheam inveni atro liquore ſpumoſo plenam, exemi pulmones cum corde, compreſſi pulmonum lobos, multum aquae atrae in tracheam effuſum eſt, & per externam ſuperficiem tranſudavit. Diſſecui lobos non antea compreſſos, ex omnibus aequalis copia aquae atrae ſpumoſae profluxit, ita, ut maculis lividis conſpurcati lobi non plus praebuerint aquae, quam alii. Diſſecui ductum arterioſum apertum, amplum, ſanguine plenum. Ventriculus anterior plus, quam poſterior, continuit ſanguinis, uti auricula dextra plus, quam ſiniſtra, & in eorum ſepto conſpiciebatur foramen ovale apertum. Ventriculus continuit paucam aquam colore atro. Viſcera abdominalia non praebuerunt inflammationis veſtigia. Veſica urinaria fuit vacua, urachus clauſus. Inteſtinum rectum plenum. Anus non conſpurcatus. Cerebri ſinus & vaſa turgebant ſanguine (*a*).

Experimentum III. d. 21. m. Mart.

Felem octo circiter dies natam ſub aquam demiſi frigidam, colore nigro ſaturatam: detinui

(*a*) Interfuit etiam huic experimento Doctiſſimus I. F. GMELIN Medicinae Doctor, Cognatus meus ſuaviſſimus, cum aliis amicis.

eam per aliquot minuta sub aqua; tunc exemi illam, respirationem moliebatur, respirabat & clamabat. Detrusi eam denuo sub aquam, bullae aereae adscendebant in superficiem aquae; convulsum animal, decimo tertio circiter minuto periit. Sub dissectione inveni colli vasa tam arteriosa quam venosa sanguine fluvido, florido turgida, & aspera arteria conspiciebatur intus nigro humore repleta; ante glottidem fuit spuma, thorace aperto pulmones maculis nigris erant infecti, pulmones pressi, dissecti praebuerunt humorem nigrum, quo etiam repleta fuerunt bronchia, bronchi, trachea, secundum longitudinem dissecta. Cordis ventriculus anterior plus sanguinis continuit, quam posterior. Ventriculus fuit valde distentus lacte coagulato, in regione cardiae nigro colore tincto, quo & tinctus fuit oesophagus. Vesica urinaria distenta fuit lotio, & intestinum rectum faecibus, anus fuit paullulum conspurcatus. Eodem die in altera fele eiusdem aetatis institui experimentum eodem cum successu.

Experimentum V. d. 28. m. Mart.

Canem adultam ligavi circa pedes anteriores & posteriores, & appendi pondus, demisi canem sub aquam non coloratam, voluit effugere,

detrusi eam denuo, respirare voluit, sed non multum movit corpus, per duo minuta apparuerunt bullae in superficie aquae, quinto minuto mori videbatur. Conati sumus eam revocare in vitam, applicuimus clysterem tabaci fumum transmittentem fere per quadrantem horae, secavimus venam iugularem externam, sed paullulum sanguinis atri tantum exiit, omnes hi conatus fuerunt irriti. Mox eam subieci cultro anatomico: externe nihil singulare deprehensum fuit, nisi spuma in ore & oculi aperti: thorax non fuit elevatus, sed semper se ita habuit ut in statu exspirationis. Abdomen non fuit distensum. Dissecto abdomine in conspectum venerunt intestina contracta & ventriculus valde turgidus, dissectus subsedit, & praebuit modicam portionem humoris flavi. Diaphragma fuit versus abdomen concavum. Separata cute a collo & thorace visa sunt vasa colli & axillaria sanguine valde turgida. Aspera arteria separata conspexi spumam ante glottidem. Sterno cum cartilaginibus costarum abscisso apparuerunt pulmones paucas maculas lividas habentes, quos cum corde exemptos pressi intra digitos, iique dissecti praebuerunt multum aquae spumosae, atque in aquam coniecti natarunt. Ventriculus cordis anterior plurimum continuit sanguinis atri, grumosi. Ventriculus posterior pauculum eius continuit.

Experimentum VI. d. 14. m. Febr.

Canem octo circiter dies natum, a matre ob pressionem forte extinctum, conieci in aquam atramento saturatam, diducto antea ore & bacillo ori applicato conciliavi ei sub aqua situm horizontalem, reliqui eum in aqua per nychthemeri spatium, tunc eum secavi, denudato usque ad asperam arteriam collo transparuit color ater; aperto thorace, exemi pulmones cum corde & aspera arteria; ante glottidem apparuerunt coagula nigra, & in trachea aqua atra haud spumosa, idem & in bronchis apparuit. Pulmones non habuerunt maculas, neque compressi, neque dissecti dabant aquam. Ventriculus continuit pariter pauculum aquae atrae. Praeterea nihil apparuit peculiare.

Experimentum VII. d. 2. m. Apr.

Feli quatuordecim dies natae mortem attuli perforatione cranii & cerebri subiecti. Os eius apertum servavi ope bacilli immissi. Eundem situm eidem conciliavi sub aqua, atque per idem temporis intervallum eam in aqua reliqui. Sectioni subiecta neque habuit in aspera arteria neque in ventriculo aquam.

§. I.

Primarium de quo plurimum diſputatum eſt, ſignum quod, homo vivus aquis ſit ſubmerſus, a pleriſque nunc habetur aqua, eaque plerumque ſpumoſa in pulmonibus cadaveris diſſectis inventa. Operae pretium erit diverſas diverſorum ex hoc ſigno opiniones recenſere, ut, quid de illo ſtatuendum ſit, intelligatur. Superſedere quidem poſſem hac recenſione, cum eam iam ſuccinctam tradiderit Cl. GUMMER (*a*): ſed quoniam eiuſmodi ſcripta non in omnium verſantur manibus, & ego aliqua habeo addenda, eam exhibebo, quantum poſſum, accuratam.

§. II.

Antiquiores Medici, GALENUS, AEGINETA, AETIUS, ALEXANDER BENEDICTUS, A VEGA CODRONCHUS, PARAEUS, SENNERTUS (*b*) in ea fuerunt opi-

(*a*) De cauſſa mortis ſubmerſorum, eorumque reſuſcitatione experimentis & obſervationibus indagata Groningae 1761. Extat ea nunc in Cel. SANDIFORT theſauro Diſſertationum. T. I. Roterodami 1768. p. 482.

(*b*) De quibus omnibus conferendus eſt modo laudatus GUMMER l. c. p. 4.

nione, omnia cava hominum viventium submersorum ipsa submersione eo usque repleri, ut inde variae partes rumperentur, vel saltem pro sua lege vitales actiones exercere impedirentur, sicque in utroque casu praesentaneus obitus induceretur.

§. III.

Postea aliter de introitu aquae in cava corporis cogitarunt Medici: initio elapsi saeculi F. PLATERUS existimavit, cum aer attrahi debeat, aquam illius loco in asperam arteriam illabi, sed nihilominus submersos ideo mori, quod ob aeris impeditam attractionem suffocentur (*a*). Circa idem tempus P. ZACCHIAS scripsit: *primum signum est, quod qui submersus vivus est, ventrem totum aqua plenum ac tumentem habeat; moriuntur vero, qui aqua suffocantur ob cohibitam potius respirationem, quam ob aquae copiam, quae ab illis ingesta fuerint* (*b*). Anno 1625. NYMMANN (*c*) saepius se observasse dixit, quod tantum parum aquae corpus vivorum submersorum intraverit. Id & rationi conve-

(*a*) Centur. quaest. paradox. & endox. q. 55.
(*b*) Quaest. Medico-Legal. T. III. p. 394. editio in fol. Norib. 1725.
(*c*) De vita foetus in utero.

biens esse credit, cum & nihil de liquore amnii inter foetum, quocum magnam habeat similitudinem submersus, FORTUNATUS FIDELIS anno 1674. idem quod ZACCHIAS statuit, nisi quod tumorem submersorum cadaverum non tam fieri hausta aqua censeat, sed a vapore, in quem etiam humores a putrido calore convertantur, ideoque hunc tumorem non nisi post aliquod tempus sese attollere (*a*). Anno 1680. BORELLUS aquam pulmones intrare putavit, mortem vero ab ingressu aquae ita derivat, ut inde sanguinis transitus & accessus aeris ad circuitum illius necessarius impediatur (*b*). R. I. CAMERARIUS 1683. pauculum aquae pulmones intrare sibi persuasum habuit, ut ne libra quidem aquae totum corpus intret (*c*).

§. IV.

Circa annum 1686. Veterum opinionem infirmare cepit Cel. WALDSCHMID, qui, se nec in ventriculo nec thorace submersorum variis suis experimentis unquam aliquid aquae iuvenisse affirmavit. Unde non aquam, sed aerem mortis

---

(*a*) De Relationibus Medicorum Libr. IV. c. 2.
(*b*) De motu animalium T. II. prop. 124. p. 141.
(*c*) Syll memorab. Med. Cent. 13. p. 1. in nota.

caussam esse assumpsit, quatenus suo defectu pulmonum usum eluderet (*a*). Anno 1689. signum hoc ab aqua in pulmonibus inventa petitum suspectum ac fallax declaravit FACULTAS MEDICA LIPSIENSIS (*b*). Stetit nihilominus adhuc apud plerosque firmo talo veterum sententia, & Physici plerique secundum eam de submersis iudicia tulerunt, donec anno 1704. Physicus Alsfeldensis Io. Conr. BECKER tractatum suum de submersis sine pota aqua (*c*) ederet, in quo experimentis observationibus & rationibus demonstrare tentavit, sub aquis aquam pulmonibus ac ventriculo neminem haurire, neque eius haustu perire: petitum vero e pulmonibus ac intestinis aqua vacuis argumentum, ad negandam suffocationem sub aqua, ad praesumendam caedis suspicionem temere adhiberi, utpote experientia ac ratione infirmatnm. Dein §. 43. rationes adducit, cur non illabatur aqua in ventriculum & pulmones, quae redeunt ad aerem, ob terrorem sub illapsu natum, copiose inspiratum. Et §. 61.

(*a*) Miscell. Med. Phys. dec. 2. A. 6. Obs. 133.
(*b*) BOHN de renunciatione vulnerum pag. 388. Lips. 1755.
(*c*) Apparuit primum anno 1704. quam editionem Novellis suis Medico-Legalibus inseruit VALENTINI. Correctior editio prodit anno 1718. quae recusa est anno 1729. qua ego utor.

submersos modo haud dissimili decedere, atque ii, qui apoplexia moriuntur, concludit.

§. V.

Refutatus fuit non longe post a Cel. VALENTINI, Professore Giessensi, ostendente (*a*), BECKERI sententiam nec novam, sed a WALDSCHMIDIO iam fuisse productam, nec etiam veram esse; cum & suis argueret exemplis & argumentis, aquam revera pulmones & ventriculum submersi intrare. Eodem tempore refutatus etiam est a DILLENIO (*b*), Profess. Giessensi.

§. VI.

Eodem anno magnum etiam nactus est fautorem & defensorem suae opinionis BECKERUS, nimirum Medicum aevi sui, teste ipso BOERHAAVIO, maximum, BOHNIUM puta, qui in Dissertatione aliqua (*c*) affirmavit, se nec in pulmonibus nec in abdomine infanticida-

(*a*) Novell. Med. Leg. p. 123. & in litteris ad BECKERUM missis, quae in eius tractatu extant p. 41. 42.
(*b*) Ib. p. 18. 19.
(*c*) De vivis mortuisve aqua submersis, suspensis ac vulneratis. Appensa est eius libro de Renunciatione vulnerum p. 387.

rum supplicio culei enecatarum aquam invenisse, aut tantummodo parum: experimenta, ut hac de re certior fieret, in canibus cepit, nunquam tamen aquam haustam offendit. Anno 1714. Georgius DETHARDINGIUS (a) integram BECKERI opinionem amplexus est, eamque insuper exemplo militis submersi corroboravit, eique novam medendi methodum superstruxit. Eidem sententiae subscripserunt non multo post Ill. HEISTER (b) & G. C. DETHARDING, GEORGII Filius (c).

§. VII.

Anno 1718. G. W. WEDELIUS non omnes submersos uno eodemque modo se habere indicavit, sed eorum pulmones aquam nonnunquam admittere, nonnunquam excludere (d). Eodem anno Cel. LITTRIUS (e) proposuit Academiae Parisinae suam sententiam de introitu aquae in pulmones & ventriculum submersi, mortem vero ab ingressa aqua non derivandam esse

(a) In Diss. Epistol. Ill. SCHROEKIO inscripta de methodo subveniendi submersis per laryngotomiam. Rostock. 1714.
(b) Chirurg. p. 555.
(c) De mortis cura. Rost. 1723.
(d) In praefat. ad novam edit. tractatus BECKERI.
(e) Mémoires de l' Academie Royale des Sciences anné 1719.

c...... Ill. Romanus Archiater, LANCISIUS; pariter introitum aquae in pulmones submersorum vivorum statuit, & si aqua in demersis, per bronchia loco aeris diffusa non revomatur, mori eiusmodi homines (*a*). Cum hoc viro fere in integrum convenit Cel. ETTMULLER (*b*) mortem submersorum partim impedito aeris transitui, partim irruptioni aquae tribuens. FACULTAS ICTORUM HELMST. mortem in aqua sine aquae potu fieri posse statuit anno 1718. (*c*).

§. VIII.

Anno 1725. Ill. SENAC (*d*) introitum aquae in asperam arteriam reiecit, ut & similiter epiglottidis repressionem inutilem; caeterum credidit, asperam arteriam ab attactu aquae in faucibus convelli, fieri inde tussim & vasorum pulmonalium rupturas: firmiter etiam tenebat, nullam plane aquam deglutiri, nisi forsan parva copia & voluntarie. Anno 1731. Cl. LEPROTTI testatus fuit, se in decem annorum submersi adolescentuli cadavere rem cognovisse, per alios

(*a*) De subitaneis mortibus p. 33.
(*b*) Op. T. I. p. 158.
(*c*) LEYSER Spec. 598. Med. 16. Vol. IX. p. 413. 414.
(*d*) Hist. de l' Acad. des Scienc. 1719.

saepe confirmatam: pulmones nimirum & ventriculum aqua vacuum, asperam vero arteriam & nasum spuma plenum (*a*). Anno 1736. ALBERTI homines vivos in aquam delapsos; non ex ingluvie aquae, sed ex suffocatione mori statuit, cum utplurimum vel nihil vel parum aquae in iisdem reperiatur (*b*). Anno 1740. Celeberrimus Vir, ALBERTUS HALLER, statuit, respirare aerem non posse aquis obrutos, aquam non attrahere, ob naturalem instinctum & angustiam glottidis (*c*). Eodem anno Ill. WINSLOW probare tentavit, aquam minime pulmones, ventriculum vero ordinarie penes submersos intrare (*d*). Anno 1742. eandem opinionem publicavit Cl. BRUHIER (*e*). Anno 1745. statuit Ill. KAAV BOERHAAVE submersos perire ob defectum

(*a*) Comm. de Bononiensi scient. & art. Instit. in Epistola ad BECCARIUM in vern. translata est in *Hamb. Magaz.* 13. *Band.* 3. *Stück.* p. 260.
(*b*) Systemat. Iurispr. Medicae T. I. p. 233.
(*c*) Comm. in BOERH. praelect. ad Instit. T. II. p. m. 221. & T. V. P. I. p. 12.
(*d*) Differt. an mortis incerta signa minus a Chirurgicis quam ab aliis experimentis Parisiis.
(*e*) Dissertation sur l'incertitude des signes de la mort & l'abus des enteremens & embaumemens precipités: par M. J. B. WINSLOW, traduite, & commentée par Jaques Jean BRUHIER, Docteur en Médecin. Liber hic auctior prodiit 1749. & 1754. editio in vernacula cum notis curata est a Cl. IANCKE, quam ad manus habeo.

respirationis, & sanguinem stagnantem in cordis dextro ventriculo & pulmonibus, eadem, ac in strangulatis ratione: confirmat insuper, aquam pulmones submersorum non intrare ob naturalem instinctum & angustiam glottidis (*a*). Anno 1748. Cel. KRUGER aquam pulmones ideo non intrare autumat, quod glottidis tanta sit angustia, ut aer & aqua sibi invicem non cedere possint (*b*). Cel. HEBENSTREIT quoad hoc momentum cum BEKERO idem statuit (*c*). Huic adhuc aetati accensendus est recentior Auctor, DE ZIEGLERN, qui neglectis vel non citatis recentiorum scriptis in Dissertatione anno 1754. edita aquam submersorum pulmones ob naturalem instinctum & angustiam glottidis nunquam intrare, in statu exspirationis in aquam delapsos pulmones habere collapsos & compressos, delapsos vero in statu inspirationis habere pulmones inflatos & expansos, atque in ventriculo exiguam aquae portionem, statuit (*d*).

(*a*) Impetum faciens &c. p. 473. 474.
(*b*) *Naturlehre* T. II. §. 207.
(*c*) Anthropol. for. p. 488. 489. edit. 1753.
(*d*) De submersis & modo illis succurrendi. Basileae.

§. IX.

Anno 1752. opinionem hanc experimentis & observationibus primum publice refutavit Eruditissimus LOVIS (*a*), demonstrans, aquam omnino ventriculum, intestina ac pulmones intrare; non vero ventriculum tanta copia, ut inde periculosa distensio, multo minus subiecti interitus efficiatur; mortem ab intercepto sanguinis transitu, hunc a pondere & pressione aquae, quae loco aeris in pulmones attrahatur, esse derivandum. Hanc opinionem nimis praecipitanter & indecenter reiecit IANCKE, eam recensione indignam reputans (*b*). Anno 1753. cepit, suadente id Perillustri DE HALLER, nova experimenta in brutis Cl. EVERS (*c*), & observationem pueri inseruit, quae aquam pulmones intrare confirmat. Introitum aquae in pulmones ab inspirandi conatibus derivat. Anno 1754. eandem fovit sententiam Celeberrimus ROEDERER (*d*).

(*a*) Lettres sur la certitude des signes de la mort, ou l'on rassure les Citoyens de la crainte d'etre enterrés vivans, avec des observations & des experiences sur les Noyés. Paris.

(*b*) L. c. p. 314. in nota.

(*c*) Diss. sistens experimenta circa submersos in animalibus instituta. Praef. I. G. BRENDEL. Goett. 1753.

(a), quam & observatione aliqua confirmavit. Anno 1755. observationem mulieris submersae, iam anno 1748. factam, publicavit Perill. de HALLER (b), in qua invenit pulmones aquam continentes, experimenta etiam in brutis instituit (c) eventum eundem expertus. Inde pro summo suo candore deseruit suam supra adductam opinionem, & confirmavit, submersorum pulmones semper intrare aquam. Cel. ESCHENBACH in Med. sua legali p. 74. idem statuit. Anno 1758. Cel. ENGELMANN (d) differentiam esse dixit, num homo inspirato aut exspirato aere submersus fuerit: exspirationem columna aquae insistente impediri putat; & hominem aut animal, periculi conscium, aerem pulmonibus retinere posse. Suffocari vero hominem inde infert, quod aer in pulmonibus stagnans, elasticitatem amittat & sensim minorem minoremque locum ita impleat, ut huic aqua sua gravitate succedat: & aere magis coarctato, minor sanguinis

(a) De Suffocatis Satura. Recusa extat in suis Opusc. Medicis p. 285.
(b) Opusc. Pathol. p. 157.
(c) Ib. p. 159. Mémoires sur plusieurs phaenom. &c. a Lausanne 1758. Op. Minor. T. I. p. 328. Laus. 1762. El. Phys. T. III. p. 244.
(d) Act. Societ. Harlem. T. IV.

circulus, tandem humorum stagnatio fiat. Anno 1759. ISNARD (*a*) & ex propriis & ex Cl. LOVIS observationibus aquam pulmones vivorum submersorum intrare statuit. Anno 1760. limitavit suam opinionem Cel. ROEDERER, concedens submersos & aqua in pulmones hausta & sine aqua hausta perire, atque diversa asserta de hoc mortis genere ita iungit: *quando in animalibus vivis experimenta ita fiunt, ut animal bene valens vivensque in aquam vi demergatur, demersumque detineatur, per metum & inspirandi conatus laryngis pharyngisque organa ita agitantur, ut in pulmones non minus, quam ventriculum aqua trahatur, inspiretur quasi simulque deglutiatur. Idem contingit, quum homo inter easdem conditiones in aquam praeceps fit. Evenire autem potest, ut rigeant hominis submersi cum reliquis faucium etiam musculi, ipse mox animo linquatur & suffocatus spiritu intercluso, pereat, sine illis, per respirandi nisus & deglutitionis, in salutem moliminibus: qui quidem subitaneus interitus facilior contingit, quum ex ebrietate aliisve caussis stupor & tenebrae mentem mortisve metum alienaverint* (*b*). Anno 1761.

(*a*) Mémoire sur la maniere la plus simple & la plus sure de rappeller les noyés a la vie à Paris, Ego utor versione germanica ab anno 1764.

(*b*) Observ. de submersis aqua. Opusc. Med. p. 339.

Cel. TISSOT interdum fubire pulmones aquam; interdum non fubire ftatuit (*a*). Eodem anno experimenta circa fubmerfos plerumque aqua frigida repetiit Cl. GUMMER, femperque aquam in pulmonibus invenit, atque neceffarium effe affirmavit, ut fubmerfi aquam in pulmones intromittant, ob infuperabilem anxietatem a continuata vel infpiratione vel exfpiratione oriundam (*b*). Anno 1765. Ill. LUDWIG ftatuit, vivos fubmerfos aquam fpumefcentem in bronchiis, & pulmones inde diftentos habere (*c*). 1766. Cl. DOUGLASS inftituit experimenta haec eodem cum eventu (*d*). 1767. Cl. KUNST extra omnem dubitationem pofitum effe exiftimavit, aquam ab iis, qui vivi fubmerfi funt; femper intro hauriri (*e*).

§. X.

Multi adhuc reftant Auctores de fubmerfis, fed plerique aut tantummodo fimplices ha-

(*a*) *Anletung für das Landvolck* 1760. p. 426.
(*b*) L. c.
(*c*) Medic. Leg. §. 504.
(*d*) Diff. de ftimulis Lugd. Bat. §. 82.
(*e*) De fubmerforum vita reftituenda. Praef. I. P. HEBERHARD. Halae.

bent observationes, aut fuerunt magis de methodo illis succurrendi solliciti. Liceat tamen prioribus addere WEPFERUM (*a*), qui neque in submersi castoris aspera arteria, neque in eiusdem pulmonibus aquam observavit. In cavitate vero thoracis invenit aquam loturae carnium similem in dextro latere fuerunt unciae quatuor, in sinistro vero unciae duae. Reputavit eam pro sero cum sanguine mixto, quod sub conatibus pro servanda vita institutis transudaverit. Sic quoque KUNDMANN (*b*) & plures in Ephem. Nat. Curios. nullam in pulmonibus hominum submersorum aquam observarunt. Retulit mihi praeterea Vir fide dignus, Dn. GAUM, Chirurgus peritissimus, se nunquam in pulmonibus submersorum deprehendisse aquam. Sed contra FORESTUS (*c*), GENSELIUS (*d*), GLOCKENGIESSER (*e*), FOTHERGILL (*f*) aquam aut in aspera arteria, aut in pulmonibus, aut in utrisque simul observarunt.

(*a*) Miscell. Acad. Nat. Cur. Ann. II. Observ. 251.
(*b*) Act. Physico-Med. Vol. VII. p. 434.
(*c*) Libro XV. Observ. p. 414.
(*d*) Eph. Nat. Cur. Cent. VI. Obs. LXXXV. p. 353. 354.
(*e*) Act. Med. Berol. Dec. II. Vol. IX. Num. IV. p. 74--76.
(*f*) *Hamb. Magaz.* I. *Theil.* 1. *Stück.* p. 140.

§. XI.

Ex horum Auctorum obſervationibus, apud quos fides eſt, concludi poteſt & debet: ſubmerſos ſub quibuſdam circumſtantiis aquam in pulmones intromittere, ſub quibuſdam non intromittere. Diſpiciendum itaque mihi eſt; quaenam iſtae ſint: nam fidem hiſce obſervatoribus quamvis plane contraria phaenomena recenſentibus plane denegare nequaquam auderem. Certe HALLERUS priſtinam ſuam opinionem non mutaſſet, niſi obſervationes & experimenta eum coegiſſent. Neque Cel. ROEDERER obſervator fideliſſimus, limitaſſet ſuam opinionem, niſi pulmones vivorum ſubmerſorum excluſiſſent interdum aquam. Vel ſolae hae HALLERI & ROEDERERI obſervationes ſufficiunt ad demonſtrandum, aquam pulmones vivorum ſubmerſorum modo intrare, modo non intrare, quanquam reliquorum obſervatorum fidei nil derogatum eſſe velim.

§. XII.

Excogitatae ſunt a diverſis Auctoribus diverſae conditiones, ſub quibus ſubmerſus pulmonibus aquam vel hauriat, vel non. Videndum itaque eſt, quouſque hae conditiones valeant, vel ad excluſionem vel ad admiſſionem

aquae. Primo assumpserunt, discrimen intercedere, an quis sub inspiratione, an sub exspiratione in aquas incidat (*a*), atque putarunt statum inspirationis impedire, quo minus aqua in pulmones aere expansos recipi possit. Non interest: an quis inspirato; an exspirato aere sit submersus. Respiratio est actio voluntaria, uti hoc pluribus demonstravit Perill. de HALLER (*b*). Protracta vel inspiratione vel exspiratione oritur anxietas non nisi vel attractione vel expulsione aeris tollenda. Sed sub aqua non est caussa, quae hos motus respirationis magis impediret, quam alios motus musculorum voluntati subiectorum. Ponamus hominem sub exspirationis statu illapsum esse, nata tunc anxietate poterit movere musculos thoracis, aeremque captare tentabit, quo denegato aquam & in pulmones & in ventriculum attrahet (*c*). Si vero sub inspiratione aqua submergatur, non ideo aquae insistentis columna exspirationem prohiberi putem, cum depressis costis aer prematur, atque sic obstaculum superare queat; quin ipsa experientia edocemur, non tanta vi aquam insistentem resistere posse, cum toties mecum Auctores aerem forma bullularum ex submersis animalibus prodire viderint.

(*a*) ENGELMANN l. c.
(*b*) El. Physf. T. III. p. 288.
(*c*) Conf. ROEDERER p. 339.

§. XIII.

2) Existimarunt tunc aquam pulmones non intrare, si vel homo ex improviso in aquas incidat, & animo linquatur, vel nimiis spirituosis ingurgitatis de se suave vita minus sollicitus sit, vel si ipso momento immersionis ob subito admissum frigus, vel ex quacunque caussa faucium cum reliquis musculi rigeant, quo ipso ista respirandi & deglutiendi molimina frustranea fiant. Ast quamvis sciam, Ill. ROEDERERUM duos casus subiectorum sine pota aqua submersorum (*a*) hac ratione explicare; crediderim tamen, non ad omnes casus hanc explicationem nimis generaliter ipsum ROEDERERUM extendere, cum ipse alio loco, iam citato, puellam animi deliquium passam, & in aquam delapsam pulmonibus aquam hausisse doceat. Praecipue Cl. EVERS putat, frigus aquae efficere, ut repente membris omnibus obrigescentibus facultas & respirandi & deglutiendi cesset, qua sublata nullus aquae in pulmones introitus concedatur: hinc exempla profert hominum hyeme submersorum, in quorum ventribus nulla aqua inventa sit (*b*); quin asserit, eos tantummodo submer-

G 4

(*a*) Opusc. p. 337. 338. seq.
(*b*) L. c. §. 41.

fos in vitam revocari posse, qui tempore hyemali in aquam frigidam inciderint, quippe qui tunc nullam aquam intra se recipiant (*a*). At equidem intra frigidam aquam submersi animalia, eaque nihilominus aquam potarunt, neque rigor quicquam impedivit, qui certe iunioribus animalibus (Exper. 2. 3.) statim post exitum ex utero materno multo magis obvenire debuisset, quippe quae summe irritabilia & sensibilia sunt, & a minori frigore eo efficacius affici debebant, cum antea calore materno foverentur. Ipse Illustr. HALLERUS tempore hyemali eodem cum eventu plurima experimenta instituit (*b*), atque Cl. GUMMER fere semper aqua frigida usus est (*c*), neque tamen ideo pulmones ab intrante aqua defendebantur; quin aquam in pulmonibus iuvenis deprehendit, qui sub ipsa glacie submersus periit (*d*).

§. XIV.

Paullo aliter Cel. WHYTT explicat modum, quo aqua a pulmonibus arceatur, existimans aquam ad glottidem accedentem stimuli loco

(*a*) §. 21. §. 45. ibidem.
(*b*) Op. Min. T. I. p. 321. 322.
(*c*) L. c. p. 22.
(*d*) Ib. p. 21.

inservire, quo admoto glottis tam arcte constringatur, ut aqua in ipsos pulmones descendere nequeat: si vero in nonnullorum submersorum pulmonibus aqua deprehensa sit, eam aliquamdiu post mortem demum ad eos pervenisse, perdita vi musculorum vitali hactenus obicem opponente (a), quam hypothesin refutavit Cl. DOUGLASS (b), qui in pulmonibus submersorum animalium & irritabilitate adhuc vigente ex aqua eductorum invenit aquam, refutant istam & Cl. EVERSII (c) & mea experimenta (d), & alia plura, quae de mortuis submersis sumpta fuerunt. Repugnat tali constrictioni ipsa glottidis structura, qua solis fere ligamentis cingitur (e), & fere omnibus caret fibris carneis irritabilibus: ostenditque insuper Cl. GUMMER eiusmodi constrictionem glottidis esse impossibilem (f).

§. XV.

Cum itaque conditiones hae prolatae neque sat constantes, neque sat certae, eam vim non

(a) Ess on vit. Mot. p. 232. 235.
(b) L. c. §. 81.
(c) L. c. §. 8. 9.
(d) Exper. primum.
(e) De HALLER El. Physf. T. III. p. 374. 375.
(f) L. c. p. 36.

habeant, ut impediant introitum aquae in pulmones, curiosus fui in indaganda caussa huius differentiae. Primum attendi ad id, quod animalia bruta submersa secundum recentiorum experimenta semper hauriant aquam. Vidi tamen obstare experimenta BECKERI, BOHNII, WEPFERI. Primum experimentum BECKERI, in eius tractatu §. 19. prolatum iam satis refutatum est a Cel. VALENTINI & Cl. EVERS (*a*), & alterum BECKERI experimentum ostendit non omnem de intromissa aqua suspicionem abesse, cum ipse BECKERUS spumam in aspera arteria & pulmonibus inventam esse, licet parca quantitate, confiteantur (*b*). Spuma haec, quanquam parca eius fuerit quantitas, satis evincit introitum aquae in pulmones, cum & ego aliquando paucam tantummodo spumam deprehenderim, quam non pro aqua hausta habuissem, nisi aqua colorata usus, quid sit, oculis cognoscere potuissem. Deinde neque absurdum vel auctoritati WEPFERI & Ill. BOHNII adversum existimo assumere, quod & eiusmodi spumam in pulmonibus deprehenderint, sed pro sero sub anxietate & ultimis vitae conatibus transudato, & cum aere, in pulmonibus residuo, agitato, habitam

---

(*a*) L. c. §. 38.
(*b*) L. c. p. 46.

neglexerint, cum nullibi aquam coloratam ad submersionis phaenomena perspicienda se adhibuisse dicant. Recentiores post experimenta sub diversis circumstantiis cum brutis instituta uno ore consentiunt, aquam pulmones submersorum animalium vivorum intrare. An probabile est, hos non sub iisdem circumstantiis instituisse experimenta, sub quibus instituit sua BOHNIUS? Annon probabilius, BOHNIUM spumam illam pro sero habuisse cum aere mixto? Forte neglexit BOHNIUS compressionem pulmonum atque investigationem curiosiorem. Utcumque se res habeat, certum est, BOHNIUM errare facile potuisse, quod re ipsa contigisse eo magis probabile est, cum obiter tantummodo nullam in canum submersorum pulmonibus aquam se invenisse referat (*a*), num vero spumam viderit, num pulmones compresserit, secaverit, ne verbulo quidem indicat.

§. XVI.

Collatis itaque tot summa cum circumspectione circa bruta submersa institutis experimentis certum esse arbitror, ea viva & vegeta submersa semper haurire pulmonibus aquam, cum-

(*a*) L. c. p. 387.

que secundum optimos observatores certum sit, homines pulmonibus modo haurire, modo non haurire aquam, differentiae huius rationem in eo, quod discrimen homines inter & bruta constituit, quaerendum esse putavi.

§. XVII.

Discrimen hoc inter bruta & homines respicit aut solum corpus, aut solam mentem, aut utrumque simul. Quod ad corpus attinet, differunt ea, in quibus utplurimum experimenta instituuntur, bruta non ita, ut differentia quoad prapositum phaenomenon inde deduci possit. Et si discrimen hoc haereret in corpore, necesse esset, ut idem semper eventus diversus in brutis & hominibus observaretur, quod tamen non fit.

§. XVIII.

Sed ad animam quod attinet, quisque largiter concedet, in ea essentialem hominum a brutis differentiam positam esse. Quae differentia, cum ad Metaphysicos spectet, excussionis locum hic non invenit. Excussit eam erudite ante hos tres annos amicus meus coniunctissimus, Cl. Dn. M. PFLEIDERERER, qui solidissime

demonstravit: *discrimen hominem inter & brutum essentiale latere in diversitate virium originariarum, quibus sua cuique series percurrenda est: bruto competere nihil praeter vim in serie sensationum progrediendi; homini autem & vim in serie sensationum & vim in serie intellectionum, quae non nisi per comparationem natae sunt, progrediendi convenire* (*a*).

§. XIX.

Homo itaque aquis submersus vel in statu inspirationis vel in statu exspirationis est. Si in alterutro statu aliquamdiu manet, sentit anxietatem non nisi commutatione praesentis status cum opposito tollendam. Anxietati huic succurrere tentaret homo ex instinctu naturali inspirationem vel exspirationem moliendo, nisi ex circumstantiis coniiceret, sub moliminibus inspirationis vel exspirationis in asperam arteriam illapsuram fore aquam, certissime nocituram & mortem illaturam, edoctus exemplo aliorum, quibus cibus vel potus in eam sunt delapsi, morte saepe subsequente. Intendit itaque om-

(*a*) Disp. de differentia hominis & bruti essentiali. Praeside Excell. Dn. Prof. PLOUCQUET. Tub. 1766. §. 45.

nium suarum virium robur, ut imminenti hosti occurrat, retinet musculorum ope statum praesentem respirationis, mobilissimam epiglottidem lingua retrocedente deprimit, ut hostium laryngis totum iam protegat, quam functionem, quo modo fiat, explicavit Perill. de HALLER (a). Valide itaque agentibus his musculis fieri potest, ut, quemadmodum alii musculi agentes, sub aqua spasmo afficiantur. Phaenomenon hoc saepius observavi ut puer, natando me exercens, dum manu mea sub aqua aliquid prehendi, scilicet subito illa afficiebatur spasmo, qui sublatus est vel sponte, dum aliquamdiu extra aquam fui, vel leni frictione. Notum ad haec est de submersis semimortuis aqua extractis, quod nonnunquam ita firmiter teneant aliquid, ad quod emergendi caussa confugium sumpserunt, ut difficillime aqua extrahantur. Fit etiam interdum, ut natantes, in quibus fere omnes musculi agunt, subito corripiantur spasmo, ita, ut corpus sibi ipsi relictum ex pondere proprio demergatur, & ea ratione eiusmodi homines sub aquis suffocentur. Recenset plura eiusmodi exempla Cl. de ZIEGLERN (a). Ex analogia itaque concludimus, pariter spasmo affici musculos statum praesentem

(a) El. Phys. T. VI. p. 91.
(b) L. c. §. 12.

respirationis conservantes & epiglottidem deprimentes, eumque spasmum durare ad mortem usque. Inde vero fit, ut aquae omnis aditus praecludatur.

§. XX.

Patet itaque bruta, *quibus abest ad praecavendum intelligendi astutia*, submersa necessario haurire debere aquam, dum vi comparandi plura inter se destituta ex instinctu naturali anxietatem illam a protracta vel inspiratione, vel exspiratione ortam sublevare coguntur vel motus inspirationis vel exspirationis producendo. Nolim vero ex hisce deducere, omnes homines ab introitu aquae in pulmones esse liberos. Poterit aqua eorum hominum pulmones subire, qui vel de periculo instante non cogitant, vel quoque nesciunt aquam pulmones intrantem mortem certam inferre. Huc referas infantes ebrios, usu rationis destitutos, de metuendo aquae in pulmones illapsu vel non sollicitos, vel non edoctos, taedio vitae sese studio in aquas praecipitantes, melancholicos v. g. maniacos quosdam se submergentes.

§. XXI.

Quousque in infantibus respirationem nondum expertis penetret aqua, experimentis adhuc

indagari debet. Quod pereant brevi tempore catuli, qui nondum respiraverunt, quorum amnion sub aqua demum dissectum est, experimentis docuit Perill. de HALLER (a). Sed rationi consentaneum est, aquam & infantum pulmones respiratione nondum explicatos intrare. Soluto nexu foetus cum matre, ligatis duobus maximis truncis umbilicalibus systema arteriosum minus fit: magis ergo aorta suae dilatationi resistit, difficilius itaque sanguis ex ventriculo dextro in ductum arteriosum venit, quam prius (b), repulsis humoribus a peripheria versus interiora, idquod fit a subitanea mutatione caloris materni in calorem atmosphaerae; oritur ex caussis his coniunctis cordi dextro resistentia, inde anxietas (c), infans hanc sublevaturus variis conatibus thoracem agitat, elevat, aer undique pressus in pulmones, ut locum minus resistentem irruit, anxietas levatur reditura, nisi infans alternis vicibus inspiraret & exspiraret. Quae si nunc applicentur ad foetum aqua submersum, utpote rationis usu destitutum, facile patescit, in

(a) Op. Min. T. I. p. 320. 321.
(b) Ill. de HALLER El. Phys. T. VIII. P. II. pag. 2.
(c) BOERHAAVE Aphorismo 631. Ill. V. SWIETEN Comm. B. II. p. 189. sqq.

in eius asperam arteriam illapsuram fore aquam; ast eiusmodi ramos minimos, utpote aere non antea dilatatos, non eodem modo penetrantem, quo fit in animalibus iam respirantibus. Convenit hoc cum experimento Generosissimi de HALLER, observantis catulum, qui nondum spiritum duxerat, sub aqua os aperientem respirationemque tentantem.

§. XXII.

Quid statuam de introitu aquae in pulmones cadaveris, paucis nunc exponam. Negarunt introitum hunc omnes, excepto Ill. BOHNIO (*a*), & Cel. WHYTT, qui magis opinor, ad hypothesin suam de constrictione glottidis ornandam, affirmat, aquam non nisi aliquamdiu post mortem in pulmones descendere, perdita iam musculorum glottidis vi vitali (*b*). Inter bina hanc ob rem abs me capta experimenta unicum est, quod introitum aquae in pulmones & ventriculum cadaveris probaret. Dubitavi certe de experimento, examinavi, annon fallacia intercesserit, sed nullam inveni. Nunc quo modo ve-

(*a*) L. c. p. 388.
(*b*) L. c. p. 232.

nerit in asperam arteriam, disquirendum restat. Num a gravitate, vel a violentiis externis, vel ab aliis caussis, quas adhuc ignoramus? A gravitate non impulsam esse aquam, suadet alterum experimentum, quod eodem modo a me fuit institutum, utpote qui eodem vase usus sui, eodem situ, eademque aquae quantitate, ut eadem aquae columna utrique insisteret. Certe a sola aquae pressione non dependere aquae in pulmones introitum probant Perill. de HALLER (*a*), Cl. EVERS (*b*), Cel. ROEDERER (*c*), Cl. GUMMER (*d*) experimenta, aliaque plura. A violentiis externis pariter non intrusam fuisse aquam, ex eo patet, quod nullae advenire potuerint in loco undique clauso, neque ego aliquid praeter undas in aqua excitaverim, ut etiam altero experimento feci, in quo nihil aquae subiit cadaveris interanea. Undas etiam excitarunt Cl. EVERS & GUMMER, aquam tamen neque in pulmonibus neque in ventriculo postea invenientes. Pendet forte hoc a peculiari situ capitis & colli, sub quo glottis dilatatur, aut a peculiari situ linguae, ita, ut, si ea antrorsum promineat, glottis aper-

(*a*) Opusc. Path. p. 160.
(*b*) L. c. p. 13. 14.
(*c*) L. c. p. 333.
(*d*) L. c. p. 27.

ta fit, vel si ea versus fauces fuerit devoluta, glottis sit clausa. Satius vero est, ut veram clausam nos hactenus latere confiteamur, & ulteriori indagationi submittamus, quam ut hypotheses fingamus pro lubitu.

§. XXIII.

Ex his nunc elucescit, aquam in pulmonibus inventam non esse signum constans, ex cuius absentia concludi possit, quod homo mortuus sit submersus. Elucescit porro, eam solummodo in aspera arteria repertam, si non multum spumosa est, signum univocum vivi submersi non esse: spuma indicat vim, qua aer cum aqua agitatur, talis in cadavere abest. Pauca vero spuma in uniuscuiusque fere hominis pulmonibus est. Hinc ut aliquid certi ex aqua in pulmonibus inventa concludi possit, debet ea esse copiosa, spumosa, nimia vi haud expressa, & eum colorem habere, quo tincta fuit aqua ad submersionem adhibita: quin insuper notabilis ROEDERERI est exceptio: quod aquae in pulmonibus foetus deprehensae non continuo eius violentam submersionem indicent, quippe in cuius pulmonibus amnii liquor morbose coacervatus esse posset. Hinc: *si suffocatum*, inquit, *amnii liquore foetum, per aliquot horas*

qui respiravit, cuius adeo pulmones natant, spumosoque fluido pleni sunt, foemina clandestinum partum edens in fluvium lacumve coniecerit omnia infantis in aquam demersi signa comparent, foeminamque infanticidam sine omni dubio produnt: nihilo tamen secius eiusmodi infantem, praeter matris culpam, amnii liquor suffocavit (*a*). Neque tandem, ut homo submersus pulmonibus hauriat aquam, absolute necessitatis esse patet, neque ut non hauriat. BECKERI sententia iam a pluribus refutata est. Cl. EVERS (*b*) praecipue in dubium vocavit eius observationes, & experimenta. Cl. KUNST solide demonstravit (*c*), opinionem eius principiis anatomicis, medicis, mechanicis, quibus suffultam credidit, destitutam, iisque plane adversam esse. Ii contra pariter, qui constanter aquas intra pulmones vivorum hominum submersorum recipi statuunt, ex antecedentibus §§. 11. 20. refutantur. Superessent iam multa v. g. de modo mortis submersorum, de indicatione curationis inde formanda, de morte eorum, quorum foramen ovale adhuc apertum est, sed haec nunc de solis phaenomenis & experimentis circa submersos sollicitus ad aliud tempus differo.

(*a*) L. c. p. 322.
(*b*) L. c. §. 37--40.
(*c*) L. c. §. 12.

§. XXIV.

Quanquam parum spei superfit restitutionis submerforum, quorum pulmones subiit aqua, quod & HALLER, EVERS, ROEDERER statuunt, tamen nunquam desperandum, sed omnia potius auxilia in submersis tentanda sunt, eo magis, cum & interdum spem nostram non frustretur eventus. Hinc quoque nuper publicis mandatis, iisque quam maxime laudandis Amstelodami sancitum est, ne submersi derelinquantur, sed quaevis auxilia, quibus ipsis ars & industria humana succurrere potest, ad eosdem vitae reddendos tententur (*a*).

§. XXV.

Alterum signum, quod multum valuit apud veteres, est aqua in ventriculo reperta. Quid plerique Medicorum de ea statuerint, iam supra annotatum est. Cel. HEBENSTREIT vitae finis in aquis reperti signum evidens esse rebatur, si consimilis illi, in qua cadaver inventum fuit, aquae liquor intra ventriculum defuncti

(*a*) Conf. Novellae LEIDENSES diei 14. m. Febr. 1769.

cernitur: addit quidem, signum hoc haud esse constans, non tamen negligendum (*a*). Cl. EVERS eorum submersorum ventriculum influere aquam statuit, qui aquis illapsi 1. adhuc vita fruuntur, 2. qui ieiuni sunt, 3. nec gelida aqua aut glacie rigidi fiunt (*b*). Ill. de HALLER plerumque aquam & in ventriculo submersorum aeque brutorum ac hominum invenit (*c*), fatetur tamen, se nonnunquam in eo nihil deprehendisse aquae (*d*). Varie insuper hinc inde sparsae observationes docent, aquam modo intrare, modo non intrare ventriculum. Inquirere itaque debeo in caussam, propter quam aqua alias subeat submersorum vivorum ventriculum, alias non subeat. Luculenter patet, quod non lateat in discrimine brutum inter & hominem, cum & brutorum & hominum ventriculum nonnunquam non subeat aqua. Neque repletus cibis ventriculus excludit aquam, quod illustrat experimentum meum III. Neque gelida aqua aut glacie constricta impedit introitum aquae, quod pariter observationes & experimenta probant. Neque experimentis & rationi consentaneum est, submersos non bibere posse aquas, si subito alto flumine vel lacu de-

(*a*) L. c. p. 487. 488.
(*b*) L. c. §. 29.
(*c*) Op. Min. T. I. p. 328.
(*d*) Ib. exper. 137. Opusc. Pathol. p. 160.

merguntur, eos vero solummodo bibere, qui aliquamdiu superficiem aquae teneant, quod statuit Cel. HEBENSTREIT (*a*). Verisimile esse videtur, quod, quum deglutitio referatur, inter functiones vitales minus principales, seu sic dictas naturales, quae ad tempus quoddam adesse vel abesse possunt, instinctus naturalis animalia non aeque valide impellat ad deglutitionem; quam ad respirationem, cuius suspensio breve post tempus excitat anxietatem, quam non multo post excipit mors. Quia vero submersorum nares, os fauces continuo influit aqua, haec eos plerumque ad deglutitionem impellit. Si vero homo illapsum aquae impedire vult motibus supra memoratis fieri potest, ut una etiam musculi in deglutitione agentes spasmo afficiantur, & sic aditus aquae tum in asperam arteriam, tum in oesophagum praecludatur, quale quid factum esse demonstrant Celeberrimi ROEDERER binae observationes de hominibus submersis sine pota aqua (*b*).

(*a*) L. c. p. 488.
(*b*) L. c. p. 337. 338.

§. XXVI.

Omnes consentiunt, praeter modo dictos, post mortem pariter ventriculum nullam subire aquam, a quibus dissentit meum experimentum. Quocunque modo res se habeat, patet, signum hoc neque constans, neque univocum esse. Si enim adsit aqua in ventriculo, potest ea etiam ante submersionem esse deglutita. Neque unquam ea quantitate adest in submersis, ut suspicio nasci non possit, illam ante submersionem fuisse deglutitam. Ego profecto semper parum aquae inveni in ventriculo, ut drachmas duas nunquam superaret. Certe si quis non fuerit submersus aqua peculiare colore tincta, quam quidem ventriculo hauserit, nunquam aliquid tantum probabile concludi potest.

§. XXVII.

Cum hoc signo aliquem nexum habet tumor abdominis a veteribus pro signo vivi submersi habitus, quem deduxerunt ex potis aquis. Huic signo repugnat ratio & experientia. Ratio, si respiciamus ad caussam, quae vel aqua ventriculo hausta, & in intestina usque penetrata putatur, vel diaphragma a pulmonibus aqua repletis versus abdomen depressum, quod Cl. LOVIS &

Ill. LUDWIG (*a*) ftatuunt ; vel diaphragma ab aere pulmonibus retento, qui fub ultima infpiratione hauftus eft, verfus ventrem infimum propulfum, quam opinionem habent BECKERUS (*b*) & eius affeclae. Aquam vero paucam ventriculum intrare oftenfum eft. Et fi magna etiam aquae portio ventriculum expanderet, non maior inde fequeretur tumor, quam quidem a ventriculo cibis repleto. Aquam autem fubire inteftina, & tumorem hunc efficere, quod veterum, & inter recentiores Cl. LOVIS fuit opinio, & experimentis & rationibus a defectu virium in moribundis petitis folide refutavit Cl. EVERS. BECKERI opinionem falfam effe, iam fatis demonftratum eft. Demus vero eam veram effe, mufculos nempe refpirationis fub aqua continenter ftatum infpirationis confervare, neceffe tamen eft, ut in mortuo animale mufculi definant agere, ut fpafmus eorum refolvatur, ut cartilagines coftarum refiliant, & ftatus exfpirationis producatur. Si vero fiat, ut aqua pulmones fubeat; apparet ex experimentis, eam non tanta quantitate fubire, ut maius occupent fpatium pulmones, qui in fubmerfis animalibus aeque fe recipiunt ad coftas pertufa pleura, quam in ani-

(*a*) L. c. §. 304.
(*b*) L. c. p. 77.

malibus vivis, vel alio mortis genere exſtinctis Experimentis inſuper patuit, diaphragma eſſe verſus abdomen in iis quoque animalibus, quorum pulmones aquam receperunt, concavum, uti in reliquis animalibus alio mortis genere defunctis. Experientiae etiam repugnat tumor, cum nunquam obſervetur in animalibus, atque recentiores de eo ſileant, niſi forte in iis ſubmerſis, qui per diuturnum tempus intra aquas detenti fuerunt, ſed tunc tumorem putredo efficiet, quippe ſub qua aer extricatur, omnia expandens & diſtendens: id quod iam olim FORTUNATUS FIDELIS annotavit.

§. XXVIII.

Thoracem elevatum pro ſigno habent BECKERUS (*a*), & eius affectatores: ſed id potius ſuae opinioni, quam experientiae convenire videtur. Hoc enim ſignum me deprehendiſſe unquam apud obſervatores recentioris aevi non memini. Neque rationi conſentaneum eſt, quodſi & iam eius opinionem aſſumere liberet. Reſolutis enim muſculis reſpirationi inſervientibus reſiliunt coſtae, unde thoracem eundem, quem in exſpiratione, ſitum obtinere concluditur.

(*a*) L. c. p. 76.

§. XXIX.

Neque minus reliqua a BECKERO allata ſigna erronea ſunt, quippe quae ſingula in ipſius falſa hypotheſi fundata ſunt. Sunt eiuſmodi a BECKERO allegata ſigna (*a*) *ventriculus exſpanſus, a caeteris viſceribus ac inteſtinis prominens, prominendoque diaphragma abſcondens: eius poſt perforationem tantum non momentanea ſubſidentia: colon ac reliqua inteſtina ad ilia depreſſa: diaphragma deorſum explanatum: pulmones admodum dilatati, aereque repleti, ut thoracis dilatatam cavitatem expleant; vaſcula ſanguifera turgidiuſcula inſpicienda referant; gutture inciſo ſibilum ſive flatum ſonorum edant exeuntis aeris progeniem; eoque emiſſo ſubſidant; & ipſi diſciſſi ſtagnantis ſpumoſi ſanguinis oſtendant indicia*. Quae omnia, quum experientiae & rationi ex iiſdem, quae ſupra prolata ſunt, argumentis repugnent, ulteriori examine non indigere videntur.

§. XXX.

Cl. de ZIEGLERN ſtatuit pulmones, prouti ſcilicet homo vel in ſtatu inſpirationis vel ex-

(*a*) L. c. p. 76.

ſpirationis aqua ſubmerſus ſit, inveniri vel aere inflatos & expanſos, vel collapſos & compreſſos (*a*). Pulmones ſemper eodem modo ſe habere, niſi aqua eos ſubit, & ratione confirmatur & experientia. Ponas enim hominem ſtatum inſpirationis, quamdiu ſub aqua vivit, conſervare, neceſſarium tamen eſt, ut muſculis a morte reſolutis cartilagines coſtarum vi elaſticitatis reſiliant, indeque coarctent cavitatem thoracis, adque eam aream redigant, quam in quovis ſtatu exſpirationis obtinet. Inde vero evenit, ut aer ultima inſpiratione hauſtus iterum expellatur, quando quidem ſpatium, quod maius ſub ultima inſpiratione nactum erat, diminutum eſt. Interea tantum aeris remanet in pulmonibus, ut contigui maneant pleurae, idquod in hominibus quovis mortis genere exſtinctis eodem modo contingit.

§. XXXI.

PARAEUS pro ſigno vivi ſubmerſi venditat, ſi ex ore naribuſque mucoſa quaedam excrementa atque ſpumoſa defluant (*b*). BECKERUS ſpumam hanc pro ſigno habendam non eſſe exiſti-

(*a*) L. c. §. 10.
(*b*) De renunciationibus p. 845.

mat, quia & in aliis fato naturali defunctis illa observetur, ceu fermentationis tantique exantlati laboris quidam effectus (*a*). Litem hanc ita componendam esse putarem: si submersus molimina respirationis edit, quibus aquam in pulmones attrahat, & aerem pulmonibus expellat, agitatur cum aqua ore contenta aer, unde spuma haec generatur. Si vero homo periculum praevidens respirationem reprimit, tunc quidem aer cum aqua non ita agitatur, ut spumam efficere possit, quia post mortem demum placide exit e pulmonibus. Quod confirmat Cel. ROEDERER, qui observavit in vivis submersis cum pota aqua os, nares, fauces asperamque arteriam cum bronchiis, aquea spuma ita abundantes, ut vel faciem conspurcaret, & compresso pulmone copiosa efflueret (*b*). In submersis vero absque pota aqua & os, & nares, faucesque observavit vacuas (*c*). Ex quibus patere arbitror, spumam in ore, tum in naribus, faucibus & pulmonibus repertam omnino probabile suppeditare signum posse, quod aliquis vivus submersus sit. Omnibus suffocatis spumam ante os esse iam innuit HIPPOCRATES (*d*). Attamen spu-

(*a*) L. c. p. 76.
(*b*) L. c. p. 341. 342.
(*c*) Ib. p. 337. 338.
(*d*) Aph. 43.

ma haec aliquando abesse potest, si vel ipso momento exspirationis in aquas incidit submersus, vel sine respirandi conatibus, quibus aer cum aqua agitatus spumam efficere potuisset, mox moritur: quin si forte adfuerit spuma, ex nimis longa cadaveris sub aqua mora elui potuit atque abstergi (*a*). Neque ubi comparet, signum univocum est, utpote quae oriri ex convulsionibus submersionem praegressis, vel ex putredine potuisset, uti SCHURIGIUS in foetu putrido iam ante aliquod tempus in utero mortuo mucum spumosum in faucibus observavit (*b*).

§. XXXII.

Ex habitu corporis externo quoque quidam signa pro diiudicandis vivis submersis petunt, sic PARAEUS extremos digitos detritos & excoriatos pro signo habuit, quod, qui vivus aquis obruitur, furentis instar se moveat, in imaque arena luctans ac suffodiens aliquid quaerat, cuius auxilio a morte se vindicet (*c*). At constans esse signum negavit BECKERUS: *in extrema necessitate*, inquit ille, *extremos digitos deteri & ex-*

(*a*) Ill. BOHN l. c. p. 385.
(*b*) In Sialogia p. 387.
(*c*) L. c. p. 845.

coriari posse, *non negarem*, *si qui forte submersus lapidem aut truncum offenderit*, *quem anxius mordicusque teneat*, *aut in ima arena suffodiat*, *quanquam non in omnibus putem observari* (*a*). Pro constanti signo id pariter non habet Ill. BOHNIUS (*b*), quia v. g. recens nati, ad primum mox aquarum contactum, ac sine ullo renitendi conatu suffocantur. Neque melancholicis, qui mortem sibi consciscentes salutem ex aquis obruentibus quaerunt, neque ebrios, qui sensuum torpore oppressi & somnolenti sunt, extrema digitorum aut alias partes nudas laceratas habere statuit. Cel. HEBENSTREIT videtur eandem fovere sententiam (*c*). Cel. ROEDERER se in quatuor cadaveribus submersorum corpus nusquam deprehendisse laesum asserit (*d*). Ill. LUDWIG signum hoc universale non esse pariter statuit (*e*). Nihil habeo addendum, nisi quod laceratio digitorum & partium nudarum corporis etiam ante submersionem factam fieri potuerit, dum v. g. cum eo, qui mortem illi attulit, miser luctatus est.

(*a*) L. c. p. 76.
(*b*) L. c. p. 385.
(*c*) L. c. p. 487.
(*d*) L. c. p. 337--341.
(*e*) Inst. Med. For. §. 305.

§. XXXIII.

Oculos apertos, femiclaufos, dehifcentes pro figno vivi fubmerfi habent ALBERTI (*a*) & IUNKER (*b*), quod vero nimis ambiguum a recentioribus plane non recenfetur. Cel. TISSOT (*c*) ne cogitat quidem de hoc figno, cum de fubmerfa dicat, eam morti fuiffe propinquam, habuiffe iam oculos clausos. Cuique facile eft iudicatu, quod hoc fignum plane non teftetur de morte fub aqua demum facta. Refolutis enim poft mortem mufculis palpebras moventibus, decidit ex proprio pondere palpebra fuperior, ut oculus fit femiclaufus, dehifcens. Quanquam contra non negare velim, quod ob rigorem emortualem, vel ob flatum convulfivum nonnunquam palpebrae femiclaufae vel quoque penitus apertae deprehendantur, uti in experimento primo & quinto ipfe vidi,

§. XXXIV.

Habetur & pro figno vivi fubmerfi a quibufdam alvus exonerata (*d*), cuius veftigia reperian-

---

(*a*) L. c. p. 233.
(*b*) Therap. fpec. p. 969.
(*c*) *Anleit. für das Landvolk* p. 431.
(*d*) HEBENSTREIT de fuffocatis in genere l. c. p. 332.

periantur in vestibus; Observatores recentiores de hoc signo tacent. Sed quoniam experimentis cum brutis vivis captis notum est, ea adhibito cultro laqueove alvum saepius exonerare, urinamque mittere, nemo dubitat, quin & homines eiusmodi ante submersionem sub colluctatione cum eo, qui illos occidere vel strangulando, vel alio modo conatur, faeces egerere & urinam mittere possint, antequam eorum cadaver aquis submergatur. Ergo non est univocum. Denique faecum egestio fit in multis moribundis ex resolutione sphincterum. Atque si tandem constitueret signum vivi submersi, saepius tamen abesset ideo, quod eluerentur stercora & abstergerentur ab aqua, ut conspici amplius non possent. Sic & anus non rigide occlusa in omnibus fere cadaveribus conspici potest, quam pro signo vivi submersi habet ALBERTI (*a*).

§. XXXV.

Quae praeterea Cel. ALBERTI l. c. inter signa vivi submersi refert, ea sunt ambigua & aequivoca. Qualia sunt *signa convulsionis*, *lingua interdum prominens aut intra dentes detenta*

(*a*) L. c. pag. 233.

haerens, narium pinnae praeter solitum contractae, labia oris inflata, maculae in exteriore corpore conspicuae, genitalia contorta aut retorta, dentes arctissime contracti & os contortum, qualia praegressarum convulsionum sunt indicia: tumidum, inquit porro, *est caput ex suffocatione: interne in pulmonibus reperiuntur signa suffocationis, quandoque intestina e genuino suo situ sunt devoluta.*

§. XXXVI.

Quoniam nunc omnia fere submersorum signa seorsim nihil habent ponderis, ea etiam coniuncta haud multum valere patet. Si vero appareat spuma in ore, naribus, faucibus, pulmonibus copiosa, sat probabile constituit signum vivi submersi, praesertim si putredo nondum accessit: & confirmatur inde petitum argumentum, si digitorum extrema detrita & excoriata, partesque nudae laceratae conspiciantur. Denique vero videtur esse quam simillimum nostrum iudicium, quod vivus quis sit submersus, si praeterea in pulmonibus & ventriculo liquor ratione coloris consimilis illi, in quo cadaver inventum est, deprehendatur.

§. XXXVII.

Cadaver submersum esse dixerunt Medici, si ea signa absunt, quae pro signis vivi submersi habuerunt, atque si distincte eum alia mortis specie exstinctum fuisse appareat. At demonstravi, signa, quibus vivus submersus cognosci possit, saltim haud esse constantia: hinc ex eorum defectu nihil certi concludi potest. Neque semper, nisi violentiae illatae conspiciantur signa, aliud mortis genus ab hoc discerni potest. Ponamus v. g. infantem ope pannorum in os intrusorum, ut respiratio inde interciperetur, suffocatum, eumque celandi criminis gratia in aquam, iterum extractis pannis antea intrusis, proiectum fuisse, equidem vehementer dubito, utrum Medicus infantem inspiciens sat certo ex principiis physicis iudicare possit, quo mortis genere infans iste perierit.

§. XXXVIII.

Quae de cadaverum submersione profert signa ALBERTI (a), ea & competunt vivis sub-

(a) L. c. pag. 233.

mersis, sub aqua extinctis, & aliquamdiu in ea manentibus. Qualia sunt: *laxitas cutis, tumor universi corporis exterioris a relaxatione & colliquatione, signa eminentis corruptionis, sub defectu signorum vivi submersi praesentia.*

§. XXXIX.

Elucescit itaque me, quod de suffocatorum signis in genere statuit B. HEBENSTREIT (*a*), in specie de signis submersorum quoad maximam partem demonstrasse, ea nimirum omnia esse haud constantia, quoad maximam vero partem ambigua, aequivoca. Quibus ut substituantur certa, constantia, univoca, est, quod vehementer opto.

(*a*) L. c. pag. 336.

FRID. IAHN

HEININGENSIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

UTERO RETROVERSO

Ienae 1787.

PROOEMIUM.

Misera profecto est hominis sors atque conditio, quem per totam vitam circumsilit, agmine facto, morborum omne genus, pro sexu vario varia sub forma urgens. Uterque enim habet communes quosdam morbos, habet vero & proprios. Quorum posteriorum plures ex utero, quasi ex PANDORAE pyxide, ortum suum trahere videntur. Quamquam enim in infantibus & puellis decimum annum nondum egressis vel prorsus nulli, vel paucissimi sint morbi uteri: tamen ab illo iamiam tempore personam sustinere ac partes agere incipit. Legere fabulas milesias, cogitare de se ipsa puella, cogitare de

pueris, ludere cum iis basia miscere potest; quidni & cetera ambire desideret? –

Quibus factis, quot miseriae miseris puellis ante sunt subeundae, quam fluxus menstruus, vel omnis, vel ex parte ab utero, instar fontis, dimanans, sedem (*a*) suam figat ac ferre consuescat! Quot cruciatus sustinendi, fluente (*b*) illo! Quot dolores, immo perpetua mortis pericula metuenda a prima (*c*) inde graviditate ad tempus usque, quo foetum enititur! Quot calamitates imminent bonis vetulis cum hysteria (*d*) nobili scilicet! – Quibus quidem omnibus & singulis canendum est cum comico: *Hinc illae lacrymae!* Etenim omnis malorum cohors, ut ceteras calamitates tacitus praetermittam, domicilium suum & solium quasi in utero exstructum habere videtur. Quae quum ita sint, alii illorum morborum sunt paullo leviores, alii longe graviores, alii insanabiles. Nec mirum. Ut enim quisque optime novit morbi caussam, sedem, symptomata; ita quoque facile inveniet

(*a*) CELS. *De Medicina* L. II. c. 7. pag. 59. ed. Krauf.
(*b*) HIPPOCR. L. I. *de morb. mul.*
(*c*) Id. *De loc. in hom.* pag. 94. ed. Foes.
(*d*) CELS. L. IV. c. 20. & Ill. GRUNER in *Diss.* sist. *Examen semin muliebr.* Ien. 1785. pag. 24. VAN-KESSEL Diss. *De passione hysterica* L. B. 1785. §. 2.

optimum remedium. Sed haec quidem hoc in casu non semper licet rite perspicere.

Nonne multa adhuc sunt dubia, manca, ignota, circa uteri structuram, physiologiam, sympathiam (*a*), quae illum intercedit cum aliis corporis humani partibus? –

Ideoque non, ut equidem opinor, quaerendum amplius est

Cur moriatur homo, cui salvia crescit in horto? Etiamsi enim illa cuncta, quoad maximam partem cognita & perspecta habes; tamen non semper supererit, quonam potissimum remedio vim morbi ac mortis frangere possis.

Sed haec quidem hactenus, ut redeamus ad metam propiusque accedamus ad rem.

In malorum, quae ex hac corporis parte oriuntur, numero ponendus quoque est *uterus retroversus*, novus, si displacet, morbus, nove certe a quibusdam Medicis descriptus, valde profecto ignotus, difficilis omnino ad sanandum. Plures ignorare videntur, dari retroflexionem uteri; multi, quid sit reflexio ista; pauci sunt, qui ei mederi velint & queant. Quam ob caus-

(*a*) De hac quidem non pigebit evolvere Cl. SCHLEGEL *Sylloge Opusc. de mirabili sympathia* Lips. 1787.

ſam, quum mihi ſummos in medicina honore ambienti imponat mos maiorum diram legem, aliquid ſcribere, id mihi elegi argumentum, ne cramben centies coctam denuo VOBIS, LECTORES, tamquam gratum prandium adponam.

Ego vero, quam ſint exiguae tenueſque ingenii vires, ſatis novi: verum.

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas:
Vos modo propoſito dulces faveatis amicis!

SECTIO PRIOR.

§. I.

Differenti mihi de quodam uteri morbo praemittenda quaedam videntur de eius fabrica & ſtructura.

Magnum hic inter Anatomicos certamen atque adhuc ſub iudice lis eſt. Ego vero tiro Medicus is non ſum, qui tantas componere lites animorumque compeſcere fluctus queam. Sufficiat igitur in praeſenti, ſententias virorum diſceptantium enumeraſſe.

Defendunt alii fibras uteri muſculares; negant alii: utrique plus minus acriter. Alter ſe vidiſſe illas adfirmat & figuris deſcribi curat; alter ſe invenire tales potuiſſe negat. Quid igitur? — Eligas, quod gulae tuae placet & quid

lubitum est credere, credas: nobis adduxisse satis est.

§. II.

Quidam viri Clarissimi, quos honoris caussa nomino, sibi vix ac ne vix quidem persuadere possunt, esse fibras in utero musculares. Quorum in numero ponendus primo loco est, quasi dux & coryphaeus, Ill. WALTER (a), incisor summus, quem statim sequitur Exc. MECKEL (b), Professor apud Halenses longe celeberrimus, Cl. WEISSE (c), & si qui alii supersunt. Hi certe primipili & instar omnium sunto.

Alii vero, iique non minori eruditionis laude & auctoritate conspicui, aliam sententiam amplecti ac tueri student. In his prae primis eminent Ill. HUNTER (d), MECKEL Professor quondam Berolinensis, HALLER (e), RO-

(a) *Betrachtungen über die Geburtstheile des weibl. Geschlechts.* Berl. 1776. & pluribus in L. *De morbis periton. & apopl.* §. 39. pag. 24. seq.
(b) STOY Diss. *de nexu inter matrem & foetum.* Hal. 1786. §. 45. not.
(c) Diss. *de structura ut. non muscul. sed cellulose vasculos.* Viteb. 1784.
(d) *Anatomia ut. gravidi.* Tab. 14. 15.
(e) *Element. Physiol.* Tom. VII. L. 28.

DERER (*a*), WRISBERG & Ill. LODER (*b*), quibus & ipſe, ut umbra corpori, accedo.

Quamquam enim in aliis artibus ac ſcientiis admodum parvi aeſtimari ſolet ſummorum virorum auctoritas, parvique magiſtri verbum: anatomes tamen ea eſt ratio & conditio, ut iure meritoque magni, non dicam maximi momenti haec auctoritas eſſe videtur. Hinc quoque verſatiſſimi his rebus WALTERI experimenta, manu dexterrima inſtituta, multum obſtare adfirmantibus, facile largior. Non cuivis fortuna dedit, ut, cadaverum multitudine uſus, ipſe inquirere poſſit, quid verum falſumve hac in re ſit.

(*a*) *Element. art. Obſtetr.*

(*b*) LODER, r. HAVENSCHILD Diſſ. *de muſculoſa ut. ſtructura*. Ien. 1782. & MULLER Diſſ. ſiſt. *Genitalium ſexus ſequ. -- hiſt.* Ien. 1780.

In hac igitur animorum contentione plures paſſim reſtant, qui vel adfirmant, vel negant fibras muſculares. Ad priores referri adhuc poſſunt MORGAGNI & HEISTER plurimique artis obſtetriciae Magiſtri; ad poſteriores vero WINSLOW, BOERHAAVE, IOHNSON (qui tamen potius glandulosam adſumit ſubſtantiam, cum fibr. ligamentoſ. nerviſque & vaſis ſanguiferis intertextam) cet. Tergiverſari adhuc videtur Ill. METZGER.

§. III.

Ratio vero ipſa ſententiam noſtram ſequi iubet, quoniam ea, quae utero gravido accidunt, phaenomena longe facilius ſic explicari poſſunt. Id quod multo aliter fit, ſi contrariam ampleсtaris ſententiam.

Quo, amabo, modo ſola tela cellulosa, vaſis ſanguiferis inſtructa, tantam vim adhibere poteſt, quanta opus eſt ad expellendum foetum, matre iam mortua? Aut qui fieri poteſt, ut tenuis haec & mollis uteri textura obſtetricis manum ad paralyſin uſque comprimat? Nonne denique multo frequentius, ac nunc, acciderent haemorrhagiae, ruptiones & id genus alia incommoda? –

At vero pax mecum, armigeri! Caduceum vobis offero. Huius enim loci non eſt, plura proponere & ulterius progredi, quia haec materia ad me non pertinet. Ideo ad libros eorum, qui a noſtris ſtant partibus, vos ablegatos cupio.

§. IV.

Praemiſſis his de uteri fabrica fragmentis, tranſgrediendum nunc videtur ad uſum eius, qui continetur conceptu, generatione, partu; id

quidem (*a*) omnis physiologorum caterva uno ore adfirmat.

§. V.

Propius ad rem nostram pertinet situs uteri, quem si describendum omisissem, manca & dubia esset morbi nostri descriptio & cognitio. Lagenam vero refert complanatam, quam figura ad ductum naturae ei RODERER tribuit, quae media in pelvi haeret inter vesicam urinae & intestinum ultimum, quibuscum iuncta est duplicati ope peritonaei. Infimae eius parti, modo cervix, modo segmentum uteri inferius, modo os tincae (quae tamen omnia reapse inter se differunt) adpellitatae adnexa est vagina, ad exteriora protensa, quae una cum reliquis partibus uterum firmare ac stabilire videtur. Ad reliqua (*b*) haec munimenta pertinent praeprimis ligamenta lata, quae sub se comprehendunt alas vespertillionis & quae pelvis osseae partibus a latere adglutinata sunt. Minus curate ad

(*a*) Annon vero & aliam in corporis oeconomia habet utilitatem, quam per saeculi inscitiam nondum perspicere licuit? Ita videtur.

(*b*) LIND, civis meus amicissimus, in Diss. *de ruptura uteri eiusque sequel. & Meth. med.* §. 6. huc quoque refert placentam.

ligamenta nonnulli referunt plexum vaſorum ſanguiferorum, quem vocant ligamentum rotundum ſ. teres. Praeter haec quoque memorantur a quibuſdam (*a*) ligamenta anteriora & poſteriora; ſed nullo prorſus iure, modo velis rem curatius anquirere.

Atque ſic quidem quoquoverſum inclinare negatum eſt utero? Sic videtur. Nonne vero in contrariam partem abire ſuadent procidentia & obliquitas uteri?

Igitur age, hic Rhodus, hic nobis ſaltandum! Tacitus nunc praetermittam omnes alias calamitates, expoſiturus in hoc qualicumque libello ſolam *uteri retroverſionem*, qua in tractanda, ut LECTORUM exſpectationi, quae profecto exigua eſſe debet, ſatisfaciam, pro viribus experiri tentabo.

(*a*) MULLER l. c. §. 2. Ut omnia ligamenta adducamus, reſtat lig. utrumque ovarii, verum ligamentum; non, ut quidam ſomniarunt hypotheſeos ergo, canalis eſt, ex ovario ad uterum ferens.

§. VI.

*R*Etroverſio uteri, reverſio, reflexio, hernia (*a*), (*Zurückbeugung*, *Umſtilpung* (*b*) *der Gebärmutter*) aut ſi quis alius alio nomine nominare libeat, nobis eſt illud uteri vitium, quo eius pars ſumma (Anatomicis fundus) verſus os ſacrum & veluti deorſum detrahitur & inter vaginae faciem poſteriorem & anteriorem inteſtini recti reclinatur, ita ut orificium uteri (quod in ſtatu ſano verſus inferiora & exteriora proſpicit), magis ad ſuperiora & abdominis contenta ultra oſſis pubis & pelvis margines adſcendere coactum ſit, aut hiſce adprimatur firmiſſime. Hinc quoque axin pelvis penitus excedit uterus ſituſque longitudinalis intra ſeſe convolutus quaſi & brevior eſt, quam tranſverſarius.

§. VII.

Bene itaque diſtinguendus eſt uterus retroverſus ab inverſo, prolapſo ceteriſque uteri ob-

(*a*) V. WALL Diſſ. infra prolixius adleg. §. 5. pag. 8. & LYNE Medical Obſerv. and Inquiries cet. Vol. IV.
(*b*) Sic Ill. GRUNER in *Almanach für Aerzte* aufs Iahr 1787.

liquitatibus. Quae quidem; quo melius inde eluceat uteri reflexio, eo curatius nunc pertractanda esse censeo.

§. VIII.

Inversio igitur uteri (*Umkehrung*, *Umbeugung der Gebärmutter*) oritur, si interior fundi uterini pars, prolapsa per ipsum os iusto magis apertum, vel intra vaginam adhucdum iacet, vel extra pudenda (*a*) protracta in conspectum venit (*b*). Id quod tantum non semper sequitur (*c*) improvidam & nimis citam post partum placentae solutionem.

Immisso vero ad inquirendum digito, hocce in casu obviam venit uteri substantia spongiosa, aspera, frustulis membranae deciduae reflexae passim induta, sanguinea & cruenta. In ambitu huius corporis sulcus inter id & os uteri ad partem immobilem ducit & quae sint reliqua.

(*a*) Ap. CELS. L. I. Pr. pag. 13. dic. *Caro ex naturalibus partibus prolapsa & arens*.

(*b*) RUYSCH *Observ.* Cent. Obs. X. pag. 17. Obs. XXV. pag. 32.

(*c*) Vid. Ill. STARKE, hospitis ac praeceptoris omni pietate venerandi, *Hebammenunterricht, in Gesprächen*. Iena 1782. pag. 32. Hucne pertinet *inversio vaginae* LEVRETI? -- cf. LEVRETS *Versuch üb. d. Missbr. d. allg. Grunds.* übers. d. BURDACH. Leipz. 1776. pag. 141. sqq.

Hunc ergo versuram rarissime, si umquam, cum reclinatione nostra commutabit quisquam artis peritus.

§. IX.

De *Prolapsu* (*Vorfall der Gebärmutter*) vero paucis videamus, num eadem valeat ratio. Uterum prolapsum esse dicimus, ubi totum hoc viscus, relaxatis quam maxime, quae illud tenent, ligamentis, iusto profundius in vaginam descendit, quin immo extra (*a*) genitalia detruditur. Tam alte vero uterus haerere solet, ut, diductis labiis externis, tres fere phalanges digitorum immittantur necesse sit prius, quam orificium uteri attrectes. Prae primis haec procidentia evenit, si vel caput oblique situm est, vel sub auctore Ill. STARKE clunibus ad os uteri conversis partus peragitur.

Rectus

(*a*) Nonnumquam etiam uterum prolapsum extra pudenda quidam viderunt, foetu intus concluso v. c. RUYSCH Obs. IX. pag. *16.* & MULLER *seltene Wahrnehmung von einer samt dem Kinde ausgefallenen Gebärmutter*. Nürnb. 1771. *Ephem. N. C.* Dec. II. a. III. pag. 375. Rarissimam RUYSCHIUS observavit procidentiam, puta, portionem tantum uteri prolapsam. L. c. Obs. XXIV. pag. 31. Cf. etiam, si placet, LE BLANC'S *Chirurg. Operationen* übers. d. LUDWIG Leipz. 1783. 1. Th. pag. 277. sq.

Rectus & debitus uteri status tunc observatur, si ab hoc discesseris, quod omnis uterus magis in profundum cecidit. Etenim os uteri imo, fundus summo loco est; hoc vero aliter fit in nostro morbo.

Facile hinc est intellectu, hanc uteri procidentiam diversissimam esse ab retroversione.

§. X.

Curatiore adhuc disquisitione digna esse videntur signa, quibus uteri reclinatio ab *hernia uteri* (*Gebärmutterbruch*) dignosci potest propterea, quod nonnulli haud dubitarunt, utrique morbo, toto caelo inter se diverso, unam eamdemque denominationem impertire. Hi vero male consuluerunt famae suae atque nescire videntur, quid distent aera lupinis.

Ubique locorum corporis oriri possunt herniae. Quodcumque enim viscus ex situ & cavitate, quam natura ei attribuit, cedere forasque prorumpere potest. Quod si fit, in sacco quodam proprio, oriundo ex parte peritonaei ambeuntis, tuto & incolume ab omni vi iacere videtur. Quidni, quod omnibus competit, id quoque de utero valeat? Quidni in eo etiam accidant herniae? Reapse vero animadverterunt.

tales SENNERTUS (*a*) & RUYSCH (*b*). Verum enim vero multum abhorret hernia, quam describunt, a retroversione nostra. Quodsi enim ante, quam ex fecundo amplexu recedit mulier, vel statim post conceptionem, ex qua demum cumque caussa, uterus protruditur per (*c*) annulum abdominis ita, ut in regione inguinis efformet & repraesentet (*d*) tumorem: tunc vere adest uteri hernia.

Naturam fere prodit ille ad inguen tumor, ortus post vim quamdam, cuius magnitudo in dies augescit volumine, adeo, ut repositione irrita foemina uterum suspensorii (*e*) ministerio fere coacta sit. Ad hoc foetus motio distincte percipitur.

Ex his igitur quam brevissime adductis signis facile adparet, tam longe a se discrepare herniam ab inclinatione uteri, quae retrorsum fit, nihil ut supra. Id unum addere liceat, quod in hoc vitio uterus adhuc restat in pelvi, foras egreditur in hernia (*f*).

(*a*) *Institut. Med.* L. V. ed. III. pag. 176.

(*b*) *Adversar. anat.* Dec. II. pag. 22. cf. etiam FABRIC. Hildan. *Observ.* Cent. III. pag. 455.

(*c*) PLENC'S *Anfangsgründe der Geburtshülfe* Wien 1774. pag. 182. sq.

(*d*) KATZENBERGER'S *katechetischer Unterricht bey schweren Geburten.* Frft. u. Leipz. 1779.

(*e*) SENNERT l. c. b.

(*f*) In *polypis uteri* adest quidem haud raro & alvi

§. XI.

Quod reliquum eſt, non ſpero, fore, ut *ſitus uteri obliquus* (*ſchiefe Lage der Gebärmutter*) indicat quemque, hunc ut pro inclinatione (*a*) retrorſa habeat. Ideoque operam plane ſupervacuam me locaturum puto, ſi ſigna adducere velim, quibus cavetur, ne qua vitiorum commutatio & confuſio fiat. Neque tamen equidem quemquam impedio, quo minus evolvat RODERERUM (*b*) hac de re ſat prolixe atque diſerte agentem.

Id tamen memoraſſe iuvat, quod perfacile poteſt tranſire uterus obliquus in retroflexum, aut adhunc diſponere, vel aptum reddere. Lo-

& urinae ſuppreſſio, certe irritamentum utrumque deponere. Partim vero per haemorrhagiam tantum non ſemper polypos comitantem, partim per ipſos digitos immiſſos diſtinguuntur hi a retroverſione V. RICHTERS *Wundarzneykunſt*. I. pag. 400. ſqq. & WALTERI fil. *Annotat. Acad.* pag. 2. ſqq.

(*a*) De utero *intorto* LEVRETI vid. WALL Diſſ. de utero *antrorſum flexo* & in tranſverſum iacente (renverſement tranſverſal) LE BLANC'S *Operationen*. pag. 309. ſqq. Cave tamen ſumas hunc pro retroverſo.

(*b*) *Element. art. Obſt.* cap. XVII. pag. 199--220.

quimur vero de obliquitate versus posteriora primis (*a*) a conceptione mensibus.

§. XII.

Atque illa inclinatio uteri duplex fortasse esse solet, quoniam aut gravida, aut integra adhuc esse potest foemina. Quam qui amplectuntur divisionem, etsi auctoritatem Cl. SAXTORPH (*b*) & LEVRETI (*c*) prae se ferunt, quorum alter uterum virgineum obliquum, alter retroversum se vidisse ait: tamen uteri virginei seu non gravidati retroversio, quantum ego quidem intelligo partim paullo obscurior, partim minor est, quam ut morbi nomen mereatur.

§. XIII.

Clarior maiorique attentione dignior est uterus retroversus sub ipsa graviditate.

Medico autem, sive medeatur medicamentis, sive manu, nihil profecto antiquius esse de-

---

(*a*) Cf. BAUDELOQUE *Anleitung zur Geburtshülfe* d. MECKEL Leipz. T. I. pag. 107. & KUHN in HUNTERS *Medic. Chir. Beob.* pag. 220. sq.
(*b*) *Collectan. Haunienf.* Vol. II. Obf. 15. pag. 128. seq.
(*c*) Ap. Cel. PLENK l. c. pag. 181.

bet; nihil prius atque gravius; quam adcurata morbi, quem adgressurus est, cognitio, descriptio, disquisitio i. e. morbi historia.

Hinc factum esse puto, quod morbus noster (a) in puteo quasi DEMOCRITI absconditus diu delituerit. In morborum systemate non invenerunt Medici, quid mirum, quod non curandum (b) susciperent? Quotus enim quisque Medicorum periculum faciet (c) in morbo ignoto? Maluerunt ergo cum systemate errare, quam forte, ut CELSUS noster (d) ait, *in splendida persona periclitari coniectura sua, ne occidisse, nisi servassent, viderentur.*

En igitur imaginem morbi, quam fieri potuit, fidissimam, qua in elaboranda viri summi (e) suum quilibet attulerunt!

(a) Cl. SCHAEFFER in Ill. BALDINGERI *Neuem Magaz. für Aerzte*. St. 7. pag. 338.

(b) HUNTER in *Medical Observ.* Vol. IV. Obs. 37. ad finem, cf. & KUHN l. c. pag. 113.

(c) Tollendus igitur est IOHNSON, qui, quum ei occurrebat uterus retroversus, & nesciret, quid factu opus sit, tentando restituit rem.

(d) In praefat. libr. I. pag. 14.

(e) Cf. Medical. Observ. ed. theotisc. pag. 317. Vol. V. & *Medical Commentaries* Vol. VI.

§. XIV.

Ex improviso tantum non semper invadit morbus fereque (*a*) III. IV. vel V. graviditatis mense: saepius macilentas, quam obesas, ut HUNTERO (*b*) videtur. Malum fere incidit cum lotii mittendi difficultate doloreque circa pubem. Initio quidem non adeo (*c*) male urget, in dies vero augescit atque misere excruciat. Sensim pedetentimque amittunt mulierculae vesicae & alvi reddendae facultatem; urina vero ipsa crassa ac turbulenta seu vere iumentaria, foetida (*d*) & acris, rubida vel fusca est, & quod subsidit, sanguinolentum (*e*) & flocculentum est, adinstar puris seu eius humoris, qui tumoribus (*f*) cysticis (resembling the contents of a tumour encysted) continetur. Alvus praeterea dura, frustulenta & stercori ca-

(*a*) Apud LYNE in 14-15. a conceptione hebdomade, ap. HUNTERUM & HOOPER. quarto mense, ap. WLTCZEK medio paene tertio mense, ap. EVANS tertio mense, rel.

(*b*) Medic. Observ. Vol. V. & ap. KUHN l. c. pag. 114.

(*c*) COCKELL Essay on the retroversion cet.

(*d*) SCHAEFFER l. c. pag. 339.

(*e*) HUNTER l. c. Vol. IV. pag. 328.

(*f*) Sic GARTSHORE in Medical Comment. Vol. V. pag. 318. sq. Cuius humoris excrementitii immensam copiam hic aliique eduxere.

num similis est. Dolor tantum abest, ut imminuatur, ut potius mentiatur (*a*) ad urgem partus dolorem & instantis abortus periculum, quippe qui omnem nunc occupat pelvis (*b*) ossisque sacri (*c*) regionem. Rarius enim figit locum suum in abdomine & circa umbilicum (*d*). Hoc vero ubi fit, ex sympathia partium deducere malim.

Tunc ergo ingravescere symptomata & supervenire perfecta lotii suppressio (*e*) alvique adstrictio sic, ut ne gutta quidem vel hilum elici queat.

Atque haec quidem mala ad tantum perniciei fastigium provehuntur, ut illam (*f*) cathetere, hanc (*g*) siphone levare ne liceat. Vesica

(*a*) SAXTORPH *Acta Med. Soc. Medic. Hauniens.* pag. 254. VAN DOEVEREN *Spec. Obs. Academ.* pag. 94. WAITZ in Cl. RICHTERI *Chir. Bibl.* B. 5. pag. 548. Hinc mirum non est, quid sit, quod obstetrices apud SAXTORPHIUM in sellam iam considendam curarent aegrotam.

(*b*) WLTCZEK l. c. pag. 17. EVANS Med. comm.

(*c*) SCHAEFFER l. c. pag. 339.

(*d*) WILMER *Cases and Remarks in Surgery*, London. 1779. qui suum casum herniae incarceratae simillimum fuisse dicit.

(*e*) Interdum tamen etiam urinae nimia profusio. Cf. GARTSHORE & SCHAEFFER l. cit.

(*f*) LYNE l. cit. pag. 327.

(*g*) BIRD in Medic. Obs. Vol. V. pag. 91.

urinalis supra ossium pubis symphisyn (*a*) protrusa (quam propter magnitudinem foetus caput esse putes), non, nisi summo cum dolore attingitur. Anus quoque propellitur, coccyx reprimitur. Neque tamen qui fere adest pruritus alvi (*b*) urinaeque mittendae cupiditas ciere utramque potest.

Quae quum ita sint, non possunt non omnes in consensum trahi corporis partes. Abdomen igitur vehementer expansum, aliquando aut molle (*c*) est, ita, ut hydropicam (*d*) attingere iurares; aut tensum, elasticum (*e*) tympanitidem simulans, seu graviditatem (*f*) septimi mensis. Sive hydropis, sive tympanitidis specimen venter exhibeat, immaniter attrectatus dolore fertur. In medio autem abdomine solitarius, peculiaris, ovalis seu pyriformis tumor (*g*) deprehenditur.

Aegre nunc viribus defectae sunt & lan-

(*a*) VAN DOEVEREN l. c. pag. 85.
(*b*) COCKELL l. cit.
(*c*) WLTCZEK l. cit. pag. 21.
(*d*) Sic illud describit Cl. SAXTORPH in altero, quem nobiscum communicavit, casu.
(*e*) GARTSHORE l. c. pag. 320. seq.
(*f*) WLTCZEK l. c. pag. 19.
(*g*) Vesicam urinae hunc tumorem esse, recte adfirmarunt Cl. SCHAEFFER pag. 336., & VAN DOEVEREN pag. 86.

guefcunt, fpiritus difficulter ducitur, oritur capitis dolor, fonitus aurium cet. Atque haec morbi per aliquot dies ratio & forma eft. Corpori fi admoveris manum, arteriam fentis duram, citam, plenam, interdum vacuam &, quum ad ultima ventum eft, intermittentem. Tunc nifi curationem admittit morbus, increfcit febris, quae fere conclamatam aegram indicat. Verendum enim eft, ne gangraena accedat, praefertim quando naufeanti fupervenit (*a*) fingultus. Iamvero fphacelo oborto, fanitatem adpropinquare credit aegra (*b*), Medicus mortem. Latere anguem fub herba fufpicatur; nec fallit eum fufpicio. Sentiunt non ita multo poft difrumpi aliquid; fperant laetae, fore, ut, ceffante illico dolore, abortum faciant; rogant atque obfecrant, ne fit fibi amplius moleftus Medicus; perfuadent fibi, Charybdin proximam fe tuto praeternavigaturas effe: at vero incidunt in Scyllam. Moriuntur laetae & boni quidlibet fperantes! –

§. XV.

De vaginae uterique mutationibus haec habeto. In priorem (in quam non nifi cum diffi-

(*a*) LYNE l. c. pag. 329.
(*b*) Id. ibid. qui belle defcripfit haec omnia, & VAN DOEVEREN pag. 86. feq.

cultate quadam penetrare (*a*) potes) demissus digitus statim detegit tumorem (*b*) quemdam, qui efficit, quo minus ulterius progredi (*c*) possis. Tensus hic, durus & modo maior, modo minor & finibus circumscriptus (*d*) globus fallere facile potest Obstetricem & ipsum Medicum, quod credat, sese attingere foetus (*e*) caput, seu vesicam ex aquarum formatione ortam. Ipsius vaginae paries posterior arcte depressa est in plicam aliquam & genitalia externa in vaginam retractarent, interdum sanguine (*f*) madent. Nec in anum ingredi digito tumor (*g*) iste patitur, etiamsi os coccygis (*h*) repressum sit.

Quae quum ita sint, os uteri vel plane attingi nequit, vel versus pubem (*i*) spectat. Quamquam enim nonnulli penetrarunt facili ad-

(*a*) Nonnulli quidem aliter hoc, vel illud invenerunt; sed haec narrationum differentia oritur ex gradu morbi diverso.
(*b*) LYNE l. c. pag. 328. qui hunc magnitudine caput infantis minus aequasse testatur.
(*c*) Sic Exc. MECKEL in hist. I. Diss. WALLII adnexa pag. 36.
(*d*) GARTSHORE l. c. Vol. VI. pag. 320.
(*e*) Id quod accidit bonis mulierculis apud SAXTORPHIUM.
(*f*) KUHN l. c. pag. 225.
(*g*) LYNE l. c. pag. 328.
(*h*) BIRD Med. Obs. Vol. VI. nr. 11. pag. 91.
(*i*) In media pelvi illud invenit GARTSHORE Vol. VI. pag. 320.

modum (*a*) negotio; in aliis tamen alia profecto fuit ratio. Nam non, nisi summa cum difficultate (*b*) attigerunt quidam orificium, quod vel supra pubem fuit, vel huic adpressum, quidam alterum tantum oris labium attrectarunt, quibusdam (*c*) horum neutrum fortuna dedit. Plures quoque vaginam ad altiora veluti emotam ossiumque pubis symphysi (*d*) adglutinatam, & arctius solito constrictam (*e*) fuisse narrant. Idem valet de intestino recto, cuius inter faciem anteriorem & vaginae posteriorem medius haeret fundus uteri reflexus. Inter utramque vero durum & expansum, fornicis instar (*f*) versus exteriora convexum sentis perinaeum.

(*a*) Id in altero casu.

(*b*) Sic versatissimus hac encheiresi Cl. SAXTORFH & WLTCZEK pag. 58. Aliquando detegi quidem potest, at non aliter, quam si digiti dorsum versus symphysin pubis prospicit, palam uterum ipsum. Apex digiti valde flexi summo pubis margine fortiter adprimi debet. Vid. KUHN l. cit. pag. 226.

(*c*) Omnis in reperiundo orificio labor frustra habuit viros Cl. WAITZ in RICHTERI Chir. Bibl. B. 5. pag. 548. LYNE, BIRD & VAN DOEVEREN l. c. pag. 96.

(*d*) HOOPER Med. Obs. Vol. VI. pag. 85.

(*e*) WILLIC in RICHTERI Chir. Bibl. B. 5. pag. 133. WLTCZEK l. c. pag. 18. & 22.

(*f*) WLTCZEK pag. 21.

§. XVI.

Cultro subiicere defunctam, nisi nefas habetur, haec fere in conspectum veniunt.

Abdomine aut tenso, aut flaccido & molli secundum artem discisso, adparet statim vesica urinae, instar uteri (*a*) gravidi, suetam voluminis magnitudinem (*b*) valde excedens, si integra mansit. Si vero dirupta (*c*) est, lotium foras egressum abdominis cavitatem (*d*) adimplet, quod loture carnis speciem refert, caseosum (*e*) & albidum est. Vesica flaccida, gangraenosa & liquoris vacua reperitur. Tenaculo autem illaeso, maximum in modum distenta, totam fere abdominis cavitatem vesica implet, & a priore parte peritonaeo destituta, ope substantiae cellulosae nudis musculis abdominis adcrevit. Quam vero continet, urina est fusca, vel nigricans, quid? quod sanguinis cruenti magnam copiam continet.

Cuncta abdominis viscera, a tumente (*f*) vesica e situ depulsa, plus minus inflammatione, quin immo gangraena corrupta sunt.

(*a*) VAN DOEVEREN l. c. §. 111. pag. 96.
(*b*) WLTCZEK l. c. pag. 22. sq.
(*c*) In postica parte disruptam vidit SAXTORPH, in fundo LYNE.
(*d*) LYNE (pag. 330.) reperit pintas IX--X.
(*e*) WLTCZEK l. c. pag. 22.
(*f*) VAN DOEVEREN §. IV. pag. 98.

Uterus autem (*a*) non venit in conspectum, nisi remotis intestinis, praesertim tenuibus. Quo facto, fornicis instar (*b*) hemisphaerici, uterus adparet. Et neque ovaria (*c*), neque tubas habere videtur, quae iuxta perinaeum latent, adeo, ut summus (*d*) fundi locus vix tertiam attingat lumborum vertebram. Corpus uteri valde expansum ad amussim (*e*) implet pelvim, ita, ut ad omnia speciem pelvis referat. Cervix praeterea longior (*f*) solito est, eaque una cum orificio & omni vagina in altiora abrepta. Sic ipsius uteri dimensio maxima (*g*) est inter partem anteriorem & posteriorem.

Placentam quidam viderunt medio fundo (*h*)

(*a*) WLTCZEK l. c. pag. 23.
(*b*) Id. ead. pag. in fine.
(*c*) Id. pag. 24. 25. LYNE pag. 330. sq.
(*d*) VAN DOEVEREN §. VI. pag. 99.
(*e*) Atque haec quidem incuneatio tanta esse potest, ut vel in demortuo cadavere repositionem tentarent frustra plures, v. c. WILMER, SAXTORPH cet. & HUNTER non prius profecit, quam dissecuit symphysin pubis.
(*f*) Angulum, quem sic facit cervix, pluribus describit WLTCZEK pag. 25. caussam inde repetens.
(*g*) VAN DOEVEREN pag. 109. §. VIII. ubi illa demensio fuit 7"; minor autem (a fundo ad orificium) 6".
(*h*) WLTCZEK pag. 26.

adnexam, quidam dextrae (a) fundi parti, quidam partim fundo, partim corpori.

§. XVII.

Meum nunc esse censeo, ad priscorum hominum monimenta redire & videre, utrum apud hosce artis inventores quid inveniam ad rem nostram pertinens, an minus? Idque eo magis, quo plures hodie

Sunt, quorum ingenia nova tantum crustula
promant (b)

Neque tamen ego *obscura* (c), *ambigua*, *speciem quodammodo referentia venari*, *amplecti* & plenis buccis proferre cupio. Hoc unum volo iubeoque, evolvantur ante ipsi libri, quam certi quid decernant. Igitur quum

- - - - - - - - *Haec mihi cura*
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos (d)
audeam; certe possibilitatem (sit venia verbo!) retroversae inclinationis novissimus hac in re BAUGMARTEN (e) sat bene demonstravit. Ac-

(a) VAN DOEVEREN §. XI. pag. 102.
(b) HORAT. *Satir.* L. II. S. 4.
(c) Sic putat ex more quorumdam hominum Cl. WALL in Diss. Prooem. pag. 5.
(d) HORAT. *Satir.* L. II. S. 5.
(e) Diss. infra prolixius cit. §. VI. pag. 7. 8.

sedamus ergo ante omnia medicinae patrem, HIPPOCRATEM, qui etiamsi mihi neque deus, neque summus & optimus in arte obstetricia magister est; in hoc tamen medicinae argumento non plane hospes ac peregrinus putandus est.

Perlustranti vero mihi eius monimenta peropportune venit locus, quem curatiore disquisitione dignum censeo. Sic enim divus ille (*a*): *Si circumvertitur* (περιστραφῶσι) *uterus, menstrua non fiunt, neque in illo genitura* (*b*): *sed tenet dolor imum ventrem* (νειαίραν γαστέραν), *lumbos* (ἰξύας) *& regionem illiacam* (κενεῶνας) (*c*). *Ac si immittitur ad contractandum digitus, plane non potest attingi os uteri, quod valde recessit.*

Sed aliis quoque locis similia narrat magnus ille vir, quem insalutatum nostrates hominem trioboli putant altoque supercilio (*d*) spernunt. Sic enim alicubi (*e*): *Quibus uterus*, ait, *procidit in ischia* (ἰσχίον) - *necesse est, aversum*

(*a*) HIPP. L. *De nat. muliebr.* Sect. V. pag. 142. ed. Foes.

(*b*) Sic FOESIUS.

(*c*) FOESIUS hoc vertit *laterum inanitates*, id quod cum nostro *die Dünnen Weichen*, unum idemque esse puto.

(*d*) Cf. quid de hoc erga priscos Medicos contemptu iudicat optimus praeceptor & iustus harum rerum arbiter, Ill. GRUNER in *Antiquitat. Medic.* Uratislav. 1774. pag. 2. seq.

(*e*) Id. *De morb. Mulier.* pag. 214.

sit os, *& superiora petat*. Praeterea quoque *imum ventrem dolor detinet*, *crura contrahuntur*, *coxendicum iuncturae ad sedem dolent*, *cumque ventris onus deponit*, *dolores acuti detinent*, *prae violentia exiguum stercus prodit*, *urina* (*a*) *stridet* (fistitur), *& animi abiectio invadit*.

Atque haec quidem hactenus Cous senex, quem haec uteri retroversio non prorsus fugisse mihi vero simillimum videtur. Num vero falsus sim, viderint alii me prudentiores arbitri.

Alium adhuc e priscis in scenam prodire ac provenire in conspectum omnium iubemus, puta, PHILUMENUM apud AETIUM (*b*). Qui eo magis nostra memoratione dignus est, quo clarius describit inclinationem uteri, quae retrorsum fit. Omissis autem, quae scire non interest, audiatis, quaeso, ipsum loquentem. *Si*, inquit, *ex utraque parte* (ne VOS, LECTORES, offendat haec theoretica explicatio ortus retroversionis!) *aequalis retractio fit*; *reclinatio*, *aut revulsio*, *sive recursus uteri aequalis contingit*. - *Si vero retro reclinat*, *torpor & difficilis cruris utriusque motus sequitur*, *saepe etiam*

(*a*) Malim equidem cum CORNARIO legere σαζει, pro τρυζει.

(*b*) Vid. HENR. STPHANI *Medicae artis principes* 1567. Fol. pag. 819.

etiam motus penitus intercipitur & ingens vexat dolor. Alvus etiam supprimitur, neque clysterem admittit, nisi genibus innitatur aegra. Flatus item retinentur, & dolores inter sedendum acuuntur. – Aliquando etiam urina supprimitur. –

Quem vero PHILUMENUS describit *recursum uteri*, num aliud est, ac reclinatio recentiorum? – Sed ne quis putet, hanc opinionem absque ullo auctore ac teste in medium prolatam esse; adducam virum & arte, & facundia insignem, Ill. GRUNERUM, Fautorem, Praeceptorem, Amicum, cuius discipulum me fuisse

– – – – *olim meminisse iuvabit*.

Coram omnibus (*a*) vir hic praestantissimus contendit, PHILUMENUM cognitam habuisse uteri retroversionem.

§. XVIII.

Iuxta illos vero binos Medicos ponendum ex priscis nescio quemquam, partim ob curtam librorum suppellectilem, partim ob temporis atque libelli angustiam. Neque tamen adfuisse ali-

(*a*) *Almanah für Aerzte und Nichtärzte* aufs Jahr 1787. pag. 73. ubi sic: „ PHILUMEN kannte „ schon die Umstülpung der Gebärmutter, die „ neuerlichst Hunter als neu erwähnte “.

quem credo, qui de hoc morbo ſpeciatim ſcriberet. Quum enim omnes fere diſciplinarum regiones tenebris plus, quam cimmeriis obtegerentur, omnis prorſum lux quoque deerat arti ſalutari & obſtetriciae. Nemo fere poſteriori admovebat ſcintillulam. Omnes pene vexabat auri ſacra fames & invidia, ad modum ſaeculi noſtri philoſophici ſcilicet. – Illuxit tandem ſaeculum ſextum & decimum, atque

– – – – – *Reſolvit tenebras lucifer.* –

Quibus diſcuſſis, reverterunt quidem Muſae, reverterunt Medici obſtetricii, at nondum fuit, qui de utero reverſo ſcriberet. – Sub initio & ad medium fere ſaeculum XVI. vixit RODERICUS A CASTRO, Luſitanus, qui de morbis mulierum (*a*) ſcribens, noſtrum quoque morbum ex HIPPOCRATE & AETIO commemoravit. Ad morbos refert, in *depravata figura* vel *ſitu* peccantes, & modo *contorſionem*, modo *averſionem*, modo *reclinationem* adpellat, cet.

§. XIX.

Noſtro demum ſaeculo factum eſt, ut Medici maiori cum cura & attentione digitos immit-

(*a*) RODERIC. A CASTRO, Luſitani. De *univerſa muliebr. morbor. medicina*. Hamburg. 1628. 4. L. II. cap. XVII. pag. 273. ſqq.

terent vaginae, atque hoc modo morbi nostri imago, quam prisci leviter adumbrarunt, depicta ad vivum est. In his Parisiensis quidam, GREGOIRE, omnium primus fuisse videtur, qui in discipulorum coetu eius mentionem faceret. Forte quadam tunc contigit, ut adsideret WALTERUS WALL, Britannus, qui auribus non peregrinantibus id accepit, quod aliquando iuvare credidit. Nec spes fefellit. Redux enim in patriam factus arcessebatur (*a*) ad foeminam valetudine laborantem, & ecce! - deus ex machina! - reperit uterum retroversum. Recordatus igitur, quae dixerat Praeceptor, eodem, quo ille modo, ut discipulum probum decet, curare voluit, sed, eheu! - incassum. Atqui adiit HUNTERUM (*b*), cuius obitum optimus quisque adhuc mecum luget. Qui, ubi digitum (*c*) vaginae immisit, confirmatam vidit talem, qualem narravit Gallus, uteri retroversionem. Ut igitur novum existimavit morbum rarumque simul & ominosum, ita, si describendum ac delineandum (*d*) curaret, oleum & operam se pla-

(*a*) A. d. XVII. Octobr. 1754.
(*b*) A. d. XIX. Oct. 1754.
(*c*) L. c. Vol. VI. pag. 338. seqq.
(*d*) Hoc fecit in splendidis de utero gravido iconibus. Tab. XXVI.

ne non perditurum esse sibi persuasit. Quod vero est in fatis, ut non omnia statim credant omnes, hoc in novo HUNTERI invento evenit. Non defuere, qui spernerent, neque indictum omni exceptione maius (a) putarent, propterea, quod supererant plura in homine vivo exempla. Neque vero defuere, qui summis attollerent laudibus inventi novitatem, iique fere omnes, qui veteres numquam salutarunt.

Tandem aliquando contigit Cl. LYNE (b) esse tam felici, ut iterum reapse reperiret uterum retroversum detectumque eum confirmaret uberius sectione (c) cadaveris. Verum non sibi soli inservire cupiebat vir Cl. ideoque cum universo eruditorum orbe communicavit, narrans historiam morbi ac sectionis. Atque nunc e re sua esse censuit HUNTERUS hanc novam novi morbi historiam notis (d) nonnullis locupletare.

Quibus factis vel alii caecutire desierunt, inque his etiam nostrates. Saepius nunc & laetius quasi efflorescere videbatur malum (sin aliter, nefas foret), in solo suo natali, Britan-

(a) Sic videtur sane ex epistola, quam misit HUNTER ad Societ. Med. Lond. quae adnotationes continet in casum GARTSHORE. Vol. VI. nr. 36. pag. 323. & ap. KUHN l. c. pag. 114.
(b) A. d. XXII. Septembr. 1767.
(c) L. c. Vol. VI. Obs. 37. pag. 325. seqq.
(d) L. c. pag. 326. seqq.

nia. Etenim plures nunc exſtiterunt, qui deſcriberent illud fuſius, aut brevius. In his igitur IOHNSON (*a*), HOOPER (*b*), BIRD (*c*), GARTSHORE (*d*), WILMER (*e*) in Anglia, in Scotia nominandi ſunt EVANS, SWAN & PURCELL (*f*).

Sed & in alias eaſque ſeptentrionales regiones veluti tranſplantata eſt haec calamitas. Legentes enim iſtas novas res, quae in ſagaciſſima Britannia evenerant ſcilicet, num mirum, quod etiam reperirent idemtidem eiuſmodi monſtra? Legerunt, gravidas viderunt, inclinationem hanc repererunt. Quid amplius? — Litteris demandare reſtabat, idque aliqui fecerunt.

Novum igitur & antehac inauditum morbum laeti adnuntiarunt in Germania Cl. WILLCH (*g*) & WAITZ (*h*) ac noviſſime Cl. SCHAEF-

L 3

(*a*) *A new ſiſtem of Midwifery* — by ROB. WALLACE IOHNSON. London. 1769.
(*b*) Medical Obſ. Vol. VI. 10. & 34.
(*c*) Ibid. Obſ. 11. pag. 90.
(*d*) Ibid. 35. pag. 317.
(*e*) *Caſes and Remarks in Surgery*. London. 1779.
(*f*) *Medic. and philoſophical Commentaries*. Vol. VI. Part. II.
(*g*) In Ill. RICHTERI Chirurg. Bibl. B. 5. St. 1. pag. 132. Obſervatum eſt anno 1779. d. 11. Ian.
(*h*) Ib. St. 3. pag. 548. eod. anno.

FER (*a*). Atqui ne unum idemque poſt alios malum obſervaſſe videretur, addicit Cl. WILLIC *retroverſionem uteri non gravidi*. Agnovit vero & denuntiavit (*b*) non ita multo poſt errorem, quo novaturiendi pruritu incitatus facile decipi poteſt quiſque. In aliis alii regionibus iam ante viderunt eamdem inclinationem, in quibus honoris cauſſa nomino VAN DOEVEREN (*c*), SAXTORPH (*d*) & ROGERT (*e*).

Qui vero in libris obſtetriciis huius morbi mentionem fecerunt: bini tantum extant, ni omnis fallor, Cl. PLENK (*f*) & KATZENBERGER (*g*), uterque vero, prout arctiores compendii cancelli poſtulant, admodum brevis.

Agmen nunc claudant, qui de induſtria hanc rem pertractarunt, anteceſſores quaſi noſtri. Hi vero ſunt Exp. WLTCZEK (*h*), WALL

(*a*) In Ill. BALDINGERI Neuem Magazin. ao. 1784. d. 4. Oct.
(*b*) L. cit. pag. 136.
(*c*) *Specimen Obſerv. Academicar.* L. B. 1765.
(*d*) *Societatis Medic. Haun. Collectan.* 1775. Vol. II.
(*e*) *Acta Societat. Medic. Haun.* 1779. Vol. II.
(*f*) *Anfangſgründe der Geburtshülfe*. Wien. 1775. pag. 181.
(*g*) *Katechetiſcher Unterricht bey Geburten*. Frf. und Leipz. 1779. pag. 59.
(*h*) Diſſ. *De utero retroflexo, morbo gravidis pernicioſiſſimo*; auct. IGNAT. WLTCZEK. Prag. 1777.

(*a*) & noviſſime tandem BAUMGARTEN (*b*), quorum primus ex Praeceptore KLINKOSCH, alter ex obſervationibus Exc. MECKEL nobiſcum communicavit hoc uteri vitium. His quidem adiicere liber recentiſſimum ſcriptorem, Anglum quemdam COCKELL (*c*).

§. XX.

Iam vero ennarratis, quam fieri potuit; breviſſime huius argumenti Scriptoribus, reliquum eſt, ut rei ipſi propius accedamus orſi ab cauſſis, quae dirum malum producere valeant. Quod quum admodum difficile ſit, aequos LECTORES rogo, ne durius accipiant, ſi quid vitii commiſerim. Etenim

Eſt nobis voluiſſe ſatis - - -

(*a*) Diſſ. *De uteri gravidi retroverſione*, auct. ABRAHAM WALL. Hal. 1782.

(*b*) Diſſ. *De utero retroverſo*, auct. HERM. IOS. BAUMGARTEN. Argentorat. 1785.

(*c*) *An Eſſay on the Retroverſion of the Uterus*, illuſtrated with Caſes and Obſervations, by W. COCKELL M. D. London. 1785. 34. 4. Cf. *Goettingiſche gelehrte Anzeigen*, St. 174. 1786. Neque tamen ſilentio praetereundus eſt Ill. STARKE in *Archiv für die Geburtshülfe und Frauenzimmerkrankheiten*, quod ſub prelo eſſe certe ſcio. His addidit Cl. BAUMGARTEN viros Cel. SMELLIE & BLUMENTHAL l. c. §. X. pag. 13. & PLENKIUS LEVRETUM l. c. pag. 181.

In eo autem magna vis Medici cernitur, ut statim noscat, unde sit, quem adgredi conatur, morbus. Equidem enim lubenti subscribo animo, quod CELSUS (*a*) noster profert, *non posse eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignorat*. Sed huius morbi ea est conditio, ut modo adpareat luculente caussa & praedisponens & occasionalis, modo lateat alterutra, modo neutra certo definiri queat. Nugari quidem licet multa, neque tamen certi quid proferre & tunc

Fecistis probe:
Incertior sum, quam dudum.

Atqui, agedum, videamus, quas adferant caussas Medici!

Iam primum inter omnes constat, pelvis vitium, ut ad partus difficultatem, ita etiam ad hunc morbum ansam praebere posse. Pecten vero quum multifariam peccare potest, singulatim percensere volumus eius vitia fontica.

Prima est, quam adferunt VAN DOEVEREN & WLTCZEK nimia pelvis amplitudo. Sed vix ac ne vix quidem sola haec, quantum equidem intelligo, ratio idonea est. Praeterea quoque nimis obscurum est, quod adfert VAN

(*a*) Praef. libr. I. pag. 4.

DOEVEREN (*a*). *Illam, quae inter os pubis & sacrum est, distantiam fuisse IV. pollic. cum IX. lineis;* sed non dicit, quaenam fuerit ista pelvis, maior aut minor, inferior aut superior? – Porro sic pergit: *Superior ossis sacri pars* (promontorium) *prominebat insigniter intra pelvis cavum, ideoque reliquarum eius dimensionum ratione considerata, haec reliquis minor haberi potest*. Quam indefinite! – At contradicentem habeo Cl. WLTCZEK (*b*)? Audio. Verum apud hunc *ossa pelvis diffracta* sunt. Quid ergo amplius? Num intacta manet dimensio maior? Non putarim.

Utcumque erit, illud tamen certum est, maiori cum iure adcusasse HUNTERUM (*c*) pelvim, cuius apertura inferior minus spatium superiore capit. Uterus enim si non ita multo post a conceptione ima pelvis loca occupat, sensim pedetentimque increscens mole sursum iterum tendit: at incassum. Si igitur hanc locorum angustiam tenet, ac nimia & crebra supervenit lotii retentio; facile retroflecti potest. Facilius vero accidere id posse videtur, ubi promontorium ossis sacri iusto magis prominet in

(*a*) L. cit. §. VI. pag. 99.
(*b*) L. cit. pag. 24. & pag. 57.
(*c*) L. cit. Vol. VI. pag. 324.

pelvim. Adſcenſus uteri difficilior, inclinatio facilior redditur.

Idem valet de nimia oſſis ſacri excavatione, quam iteratis vicibus obſervavit GARTSHORE (a). Qui vero fiat, ut haec demum damnum inferat, facile eſt intellectu.

Aeque noxia fortaſſe & ad cauſſas morbi noſtri referenda ſunt reliqua pelvis vitia, puta, pelvis diſtorta & compreſſa, vertebrae lumborum nimium quantum in pelvim protractae, exoſtoſis & id genus alii tumores, item ſcirrhi cet. In oſſe pubis forte vitium eſt, ſi hoc magis, ac fas eſt, verſus interiora (b) tendit. Os uteri quum tantum non ſemper (in primiparis ſaltim) magis obverſum eſt oſſi ſacro, fundus vero pubi, nonne uterus adſcendens adfecto oſſe pubis, eo tendet, quo pauciora ei obſtant impedimenta? Orietur ergo inclinatio uteri verſus poſteriores partes.

§. XXI.

Sed in ipſo etiam utero, tamquam anguis ſub herba, cauſſa retroflexi uteri diſponens latere poteſt, atque hoc eſt, cui me nunc accingo.

(a) L. cit. Vol. VI. pag. 312.
(b) Cf. RODERER l. cit. §. 12.

In ligamentis saepissime insidere isthoc vitium contra IOHNSONIUM (*a*) contendo; idque recte, ni fallor. Nam & LYNE (*b*) & GARTSHORE (*c*) & novissime COCKELL (*d*) auctores sunt, omnes istas foeminas fuisse laxo corporis habitu, & fere periisse hydrope (*e*). Atque ipse Cl. LYNE caussam quaerit in hac laxitate totius corporis, in primis ligamentorum & processuum (*f*). Et quidni? - Fac enim, domus cuiusdam fulcra vacillare trabesque sustentantes nimium cedere ruinae, quam facile fieri potest, ut tota ruat domus! Fac, uteri ligamenta esse iusto laxiora & debiliora, qui fieri potest, ut in eodem situ uterus maneat? Nihil profecto est, quod temere adfirmatur, nihil incredibile, nihil naturae contrarium.

An vero uterus vitio, nescio, quo inde a prima formatione ad hanc declinationem aptus

---

(*a*) L. cit. pag. 28.
(*b*) L. cit. Vol. IV. pag. 326.
(*c*) L. cit. pag. 317. 320.
(*d*) L. cit. Sic fere omnes iam plures pepererunt, aut prolapsu laborarunt.
(*e*) COCKELL l. c. Cl. BAUMGARTEN eamdem fere amplectitur sententiam, magis tamen *fibrarum uterinarum inertiam ac debilitatem* adpellat. L. cit. pag. 14.
(*f*) Pag. 333. l. c. KUHN l. c. pag. 233.

esse potest? - Ita videtur (a). Ac si vera est, ut esse debet, SAXTORPHII (b) de utero obliquo virgineo observatio, non est, quod dubitemus amplius, dari dispositionem innatam.

Porro in caussis hisce ponitur ab HUNTERO (c) misera corporis macritudo. Foeminas enim paullo habitiores & obeso corpusculo (d) praeditas, quoad maximam partem liberas pronuntiat.

Restat, quam huc refert Cl. WALL (e) constitutio epidemica. Longius de hac differerem, nisi iam pluribus id fecisset Cel. BAUMGARTEN (f). Id unice addam, quod sic obscurum per aeque obscurum explicare studemus; id quod damnant dialectici. Habeat igitur WALL, credat Iudaeus APEILA, non ego, hanc constitutionem epidemicam conferre aliquid posse ad sedem uteri mutandam. Viderint Chemici, qui in novis de aere theoriis fiduciam omnem ponunt!

(a) WLTCZEK l. c. pag. 59.
(b) Collectan. Hauniens. Vol. II. pag. 129.
(c) L. c. Vol. VI. pag. 324. KUHN pag. 114. sqq.
(d) Nullum igitur malum tam magnum est, quod non aliquid adferat boni. DIONYSIUS ob nimiam copiam pinguedinis aegrotabat, mulierculae nostrae ob nimiam eius inopiam. Vid. AELIANI Var. Hist. IX. 13.
(e) Diss. cit. & Cl. KUHN pag. 233.
(f) Diss. cit. §. XII. pag. 16.

§. XXII.

Ad producendum morbum quum cauſſae diſponenti accedere oporteat cauſſam occaſionalem, has quidem, quantum ex Auctorum hiſtoriis colligere licet, adiungamus.

In his igitur eminet, tamquam (*a*) princeps, uteri ipſa expanſio. Hanc excipit lotii retentio (*b*) ac veſicae diſtenſio. Atque hoc quidem in vitae conſuetudine maxime ponendum eſt. Non curant femellae veſicae ſtimulum & obliviſcuntur per vitam ſedentariam, quantum interſit, rite mingere. Sic uterus verſus umbilicum adſcendere nequit, ob hunc veſicae tumorem prominentem ſcilicet; complanatur primo fundus, tandem retrovertitur: ſeu, ut HUNTERUS (*c*) ingenioſe explicat, veſica lotio expanſa, quaquaverſum tendit, ubi demum cumque ſpatium invenit; praecipue vero ſolet altiora petere. Hoc ubi facit, ſecum rapit cervicem & una totum ſegmentum uteri & eam vaginae partem, quae hiſce adnectitur. En declinationem!

Numquid vero, damni adfert tardior (*d*)

(*a*) WLTCZEK l. c. pag. 58.
(*b*) HUNTER l. c. Vol. VI. pag. 325.
(*c*) Ib. id. Vol. IV. pag. 341. & Vol. VI. pag. 325. ſeq.
(*d*) Cf. Cl. RICHTER Chir. Bibl. B. 4. pag. 557.

alvi deiectio? Vix putarim. Tunc enim potius flecteretur uterus antrorsum, minime retrorsum ad eam regionem, ex qua impedimentum nascitur.

Propius a vero abest Cl. SAXTORPH, adcusans iniquam placentae adhaesionem, idque, ni omnis fallor, recte. Haud pauci enim, iique in re obstetricia (*a*) viri summi praecipuam obliquitatis uteri caussam quaerunt in mala placentae sede. Nihil me movent sectiones quaedam puerperarum defunctarum, quibus ex benevolentia Ill. STARKE mihi interesse contigit, in quibus placentam vidi veluti insertam dextro lateri; uterum vero sinistrorsum nutantem: neque id, quod in ipso utero retroverso (*b*) placenta in media fundi parte subsederat. Alia fortasse tunc suberat caussa, quam non statim detexerunt Medici.

Restat alia Cl. WLTCZEK (*c*) opinio; quam, fretus auctoritate Ill. RICTHERI (*d*), tamquam falsam explodere ac repudiare possum; memorare tamen debeo, quo melius adpareat,

---

(*a*) Sic enim, ut principem hac in re & coryphaeum instar omnium adferam Ill. STEIN in *Theoret. Anleitung zur Geburtshülfe* Cassel 1783. §. 321. pag. 101.

(*b*) WLTCZEK. pag. 26. & 57. Cf. supra §. 16.

(*c*) L. cit. pag. 57.

(*d*) Chirurg. Bibl. B. 4. pag. 557. seq.

quid ſit; quod hoc ſupplicio dignam iudicem. Mali cauſſam in longiorem uteri ſui cervicem transfert. Ego vero cervicem talem magis pro effectu, quam (*a*) pro cauſſa habere malim. Fundus enim ubi tam male in profundum retractus velutique demerſus eſt, quam facile fieri poteſt, ut cervicem reddat longiorem! *Foetus* (*b*) praeterea ipſe *verſus inferiora* ſeu *perinaeum* matris devolutus iacebat, ac vagina fortaſſe altius attrahi non poterat; numquid mirum, ſi cervix fieret longior? Ad hoc iam medio tertio graviditatis menſe ſenſit mulier urinae mittendae difficultatem; verum ſub finem quarti conqueſta eſt de dolorifica genitalium verſus interiora abdominis retractione.

Aliae adhuc reſtant ab externa vi petitae cauſſae occaſionales. Huc pertinent caſus, violenta & incongruens corporis motio (*c*), ponderis (*d*) & molis ſuſtentatio vectio (*e*) in rheda ſeu ciſio & id genus reliqua. Adferuntur quoque ab auctoribus animi vehementiores motus, timor, terror (*f*) cet. item fortior emeſis (*g*).

(*a*) VAN DOEVEREN l. c. pag. 100.
(*b*) WLTCZEK l. c. pag. 26.
(*c*) HOOPER l. c. Vol. VI. pag. 85. & 315.
(*d*) WAITZ l. c. B. 5. pag. 550. EVANS l. c.
(*e*) Cl. SCHAEFFER l. c. pag. 335.
(*f*) HUNTER & HOOPER ll. cc.
(*g*) WILLICH l. c. B. 5. pag. 133.

§. XXIII.

Relicta caussarum serie atque caterva, omnem, quae nobis superest, operam dicabimus prognosi & curationi. Ante vero quam huic negotio nos accingamus, finiamus quosdam uteri retroversi gradus.

HUNTERUS (*a*) iamiam posuit tres potissimum declinationis gradus. Primus ei est, ubi *plene* atque omnino *retrovertitur* uteri *fundus* (*compleat and full retroversion*) alter, ubi *dimidia* tantum pars reflectitur (*partially*, *or half retroversion*); tertius tandem, ubi, *orificio* & omni *utero in naturali fere situ* ac statu manente, morbus non ita multum (*b*) abhorret a procidentia uteri. Sed minus curate videtur haec distinctio. Ultimus enim gradus, quum nullum prae se ferat aegritudinis signum, praeter urinae suppressionem non potest, diligentius si rem pensites omnem, definire gradum morbi. De reliquo mulieres bona gaudent valetudine. Etiamsi enim aliquis urinam evocare non valuit, tamen me non movet, quod ab exercitii penuria venit.

Igitur duo tantum huius mali gradus figendos

(*a*) L. cit. Vol. VI. nr. 36. pag. 325.
(*b*) Sic enim ipse vir immortalis pag. 326.

dos esse censeo ; alterum, si *totus uterus* reclinatur, alterum, si *ex parte*. Prioris exempla leguntur apud ipsum HUNTERUM, LYNE, HOOPER, BIRD, SAXTORPH & WAITZ. In hoc quidem casu orificium vix ac ne vix quidem attingit digitus explorantis Medici. In altero vero, quem observarunt GARTSHORE, WLTCZEK, ROGERT, WILLICH, SCHAEFFER cet. etiamsi non sine labore, reperitur tamen illud, modo in media pelvi, modo ipsi pubi arcte adpressum.

Ex hoc igitur oris uteri statu, ex tumore uteri retroversi, ex gravitate symptomatum adsidentium, ex difficultate siphonem & catheterem adplicandi, rel. prior & gravior, a posteriori eoque mitiori facile distinguitur. Hunc vero in priorem admodum facile transire posse, quis est, quin intelligat? Et tunc orificium evanescit plane. – Sed vos non amplius moror, LECTORES, hisce distinctionibus.

§. XXIV.

Placet nunc subiungere signa, quibus boni malive eventus praedictio continetur. Qui quamquam saepissime ominosus est, certe periculi haud expers: tamen fuere mulieres, quae mortem effugerent. Hinc dicamus prius de bonis notis.

Igitur si mitior est retroversionis gradus: si non ita multo post conceptionem oritur malum, si repositionem facile admittit, si urina profluit, vel rite evocatur & si cito detegitur morbus & arcessitur Medicus artis suae gnarus: tunc bona quaeque ominari licet. Etenim

Multo quam finem medicari initia praestat.
Nuperam declinationem Medicus facilius potest dignoscere atque sanare.

Quid vero dicam de abortu superveniente? Isne bonus, an malus putandus? – Dubius haereo. Perit foetus, restat mater: ille non omnis periculo liber, haec plurium fortasse eiusmodi homuncionum mater futura. Quid igitur? – Equidem inter faustos referre eventus malim, de quo matri salus est.

§. XXV.

Contra, rem minus prospere successuram esse, ominari licet, ubi morbus vetus est, antequam detegitur, ubi alter iam imminet gradus, qui cane peius & angue timendus est. Cunei enim ad instar pelvi intrusus uterus ne post mortem quidem in locum suum naturalem restitui potest. Huc quoque pertinet pelvis aut nimis ampla, aut prorsus compressa: illa, quoniam non retinet uterum semel iterumque repo-

ſitum; haec vero; quoniam omnia reponendi uteri pericula eludit. Num huc quoque uteri innata diſpoſitio, quam nonnulli memorant, referenda?

§. XXVI.

Neque tamen, quamquam deſperato fere auxilio opus ſit, in hiſce caſibus ad ultima ventum eſt, quoniam, propoſito metu, ſpes tamen ſupereſt.

Conclamatam vero aegram putes, ubi peſſimus iſte rerum ſtatus plures dies perdurat, inflammatio vehementior & febris auctior eſt, facies hippocratica, pulſus debilis, ſudor frigidus accedunt (*a*), cet. Praeter haec ſi dolor, coxas & inferiores partes ſaeviſſime excrucians, ſubito ſilet, ſeque belle, optime habere dicit aegra: metus eſt, ne brevi deponat aegra omnem omnino dolorem & - vitam. Mors enim ante portas eſt & tunc

Oſſa quieta, precor, tuta requieſcere in urna
Et ſit humus cineri non oneroſa ſuo!

Actum eſt, ilicet! -

(*a*) Ileus ultima fuit clauſula apud COCKELLIUM.

§. XXVII.

Antequam vero actum de nobis est, coronidis loco imponamus opusculo viam & rationem medendi. Quae ut recte absolvatur, redeundum iterum est ad eos, quos antea stabilivimus, gradus. In utroque enim, modo tempestive vocetur Medicus, non pigebit

Formosae medicas adplicuisse manus:

in neutro vero licet, ex praecepto ASCLEPIADIS curare cito, tuto ac iucunde. Namque & hic periculosa est & nimia iucunditas, & festinatio.

Iam vero quod ad mitius attinet malum, id absque repositione tantum non semper sanatur, si foemina, urina alvoque educta, quieta atque tranquilla in lectulo iacet. Hic prae caeteris iuvat catheteris (a) ope aut flexilis, aut talis, qualis virorum est, urinam evocare. Quo facto, alvus clystere molliente ducenda est.

Quae quidem remedia, si per diem saepius repetantur, ipsa quiete praestantiora sunt, modo aegra prona in ventrem decumbere pergat. Ne vero ex suppresso ventre & lotio iterum recrudescat malum, leniter alvus cienda est, maxime lotione & post haec addenda unctio, fomenta &

(a) Vid. BAUGMARTEN l. c. pag. 25. seq.

cataplasmata ; quae mirum quantum prosunt ; prae primis quoque partes supra pubem sitae ex oleo , cum liquore C. C. succ. spiritu salis amoniaci & laudano liquido leniter diuque perfricandae : intus vero (*a*) lenissima exhibenda medicamenta , v. c. serum lactis , pulpa tamarindi vel cassiae , cremor tartari , potio ex manna cum sorbitione materiae tenuis , cet. Neque tamen sanguinis detractio , balnea , semicupia cet. aliena videntur .

§. XXVIII.

Atque haec quidem in difficiliori cuneatione etiam tentanda sunt ; sed potior est caeteris repositio , tamquam unicum artis praesidium .

Itaque in hoc mali gradu triplex (*b*) est Medici officium , primum ut impedimenta tollat , quae repositionem irritam reddunt , deinde ut uterum in situm pristinum redire cogat , tertio ut eum , quem restituit , situm servare allaboret .

Primae igitur indicationi satisfacturi iterum in auxilium vocare debemus catheterem & sipho-

(*a*) Non omnia prorsus equidem exulare iuberem pharmaca cum BAUGMARTEN l. c. pag. 25.

(*b*) Hisce indicationibus addidit Cl. BAUGMARTEN quartam , *ut , morbo diutius protracto , si alia in corpore mala suborta sint , idoneis remediis obviam iisdem eamus* , l. c. pag. 24. §. XVIII.

nem. Id quod etiam similiter imperat PHILUMENUS (*a*). Iteratis autem vicibus si vana est catheteris adplicatio, immittere suadeo manum vaginae ac paullum reprimere tumorem angustantem. Etenim (*b*) non unus atque alter exantlavit vesicam, dum inquirere vellet, quomodo uterus se habeat. Quo facto, facillime catheter intromittitur.

Interdum ne hoc quidem aliquid commodi adfert, fieri tamen potest, ut vacuefacta vesica, uterus sponte sua recedat. Quod si non iuvat & metus est, ne aegra pereat, nihil restat, nisi vesicae paracentesis (*c*); quae, etsi in aliis morbis nullius, in nostro tamen maximi momenti esse videtur. Igitur in hoc rerum statu boni Medici est, ostendere, quam nulla vitae spes sine illa sit faterique ingenue, quantus in hac ipsa medicina periculi metus supersit, & tum demum audacter vesicam superne pertundere. Cavendum tamen est, ne id fiat eo loco, ubi peritonaeo destituta est vesica.

(*a*) Sic enim ille: *Primum*, ait, *imperabimus obstetrici, ut digito in anum immisso uterum propellat; deinde glandem submittat ano*. Vid. STEPH. Collect. l. c.

(*b*) Sic Cl. WILLICH ap. Ill. RICHTER pag. 136. & HOOPER Vol. VI.

(*c*) LYNE l. c. in fine histor. pag. 333. & KUHN l. c. pag. 236.

§. XXIX.

De repositione ipsa haec habeto. Mulier, sursum elato (*a*) abdomine, prona (*b*) incumbit genubus, innixa cubitis ita, ut, cruribus quantum eius fieri potest deductis, operator rem suam agat a posteriori foeminae parte. Praeterea e re erit, caput vel in gremium ministri demisse sedentis recondere, vel loco decliviori inniti, quo melius intestina & uterus (*c*) ipse ab ossis sacri prominentia recedant: quin immo, nisi ab omni penitus lotio liberata est, vesica minus resistit.

His propositis, operator unum alterumque digitum immittit ano (*d*), ita quidem, ut dor-

(*a*) BAUGMARTEN l. c. pag. 25.

(*b*) LYNE l. c. Vol. VI. pag. 329. aliique plures. Hinc minus recte iubet Cel. KATZENBERGER (l. c. pag. 60.) *foeminam iacere supinam in lecto*; fretus fortasse auctoritate GREGOIRE & W. WALLII Vol. VI. pag. 338.

(*c*) RICHTER *Chir. Bibl.* B. 4. pag. 236. Quem virum Ill. in tota repositionis via potissimum secutus sum.

(*d*) Iterum minus commode suadet KATZENBERGER, *immittere manum vaginae, & elevare digitis fundum uteri* -- Recentissimus quoque COCKELL eiusmodi simile quid, *manu tota in vaginam immissa & in pugnum redacta premere per bonum temporis spatium versus tumorem*, com-

ſum digitorum obvertatur oſſi ſacro, interior planities ipſi vulvae. Quo facto, retruditur ipſe fundus, qui, ne duriter haereat in promontorio, eo magis verſus umbilicum & pubem dirigendus eſt. At etiamſi, digitis ad paralyſin uſque compreſſis, uterus omnem omnino repoſitionem irritam (*a*) reddere videatur: deſiſtendum non eſt, ſed contra ſtrenue agendum. In hoc enim caſu uterus, quid efficere poſſit, videtur experiri, & tunc equidem commendarem vaginae & ſegmenti uteri detractionem, quam Ill. RICHTER, & qui eum ſequitur Cl. WALL omnino repudiarunt. Huius repoſitionis adiuvandae ergo ſuadet porro Exc. RICHTER, pubi (*b*) imponere digitos, qui prohibent, quo minus os uteri verſus anteriora cedat. Id quidem conſilium ſubſcribo lubentiſſime.

§. XXX.

Uterum igitur feliciter, ſi dis placet, repoſitum, quomodo Medicus in ſtatu & ſitu legitimo ſervare debeat, paucis videamus. In eo enim doctrina & praeſtantia Medici cernitur,

---

mendat. Sed vide, quae de hoc artificio leguntur in *Goetting. gel. Anzeig. S.* 174.

(*a*) HOOPER l. c. pag. 89. ſeq.

(*b*) *Chirurg. Biblioth.* B. 4. pag. 238.

ac aegroti diu intacti a morbis maneant incolumesque vivant.

Fugiat ergo aegra, quantum eius fieri potest, quibus recrudescere potest malum i. e. caussam occasionalem. Medicus vero, prout res & caussa postulat porrigat roborantia aliaque medicamenta. His superaccedat necesse est spongia (a) seu, quod melius est, pessarium (b) ipsi vaginae immissum, quo uterus in situ sustentatur. Alvum & vesicam insuper saepius educere fas est.

§. XXXI.

Atque haec quidem de repositione, quae, quanta sit operatoris ars, nonnumquam tamen irrita est. Quapropter, si omnem in ea operam & oleum perditurus, uterum reponere non licet, annon satius est Medico, abire aegramque suo fato relinquere? – Quod si fecerit, consulit quidem famae suae & nomini; at viri probi est ultimum etiamsi anceps remedium experiri. Ideoque tentanda est sectio synchondroseos pubis (c), quae, quum nuperrime a quibusdam ad

(a) HOOPER l. c. suadet hanc & adhibuit ipse.
(b) RICHTER l. c. B. 4. pag. 71. Cf. LEVRET *Versuch* cet. pag. 140. seqq.
(c) PURCELL in Medical. Comment. Vol. VI. Audienda tamen, quae de his rebus adfert BAUMGARTEN l. c. §. XXII. pag. 30.

caelum usque elata in despectum plurimorum veniret, hoc quidem casu novum sibi fundamentum posuisse videtur; quia in hoc tam diro malo levamen adfert. Discindis abdomen matris, dissecas uterum, neque tamen emolumenti quid inde enascitur. Num quoque foetum lacerum educere concupiscis? – Macte, sodes, virtute tua esto: nam bene factum & volupe est, ad exemplum ARCHAGATHI, carnifex vel esse, vel haberi!

Sin vero & illa synchondrotomia fallit, ultimum certe restat auxilium, quod suasit HUNTERUS (a), uterum perforare acu triquetra. „Nonne vero tunc abortionem patitur aegra?" –

Haec quidem statim insequetur; sed equidem, si quando in eiusmodi Scyllam inciderem (Deus meliora faxit!), nullus dubitarem, sequi praeclarum isthoc consilium. Quid vero religioni ducis, tanto te facinore polluere? – Si facis, servatur forte mater, perit foetus: sin minus, mater & foetus vitae iacturam faciunt. Num mori utrumque sines? – Eligas alterutrum; in bivio enim constitutus, ut quondam HERCULES, dubius haesitas, utram capessas viam? Sive vero hac, sive illa incedas; i pede fausto, & vale!

(a) KUHN l. c. pag. 237.

IO. PETRI FRANK

OBSERVATIONES

MEDICO-CHIRURGICAE

Recitatae in Regia Scientiarum Academia Goettingensi, die 23. Novembr. 1784.

Recus. ex Comment. Societ. eiusd. Vol. VII.

OBveniunt in artis medicae exercitio complures saepe circumstantiae, sub quibus vel exercitatissimos oculos densiores obfuscant nebulae, neque nos aliter sinunt, nisi palpando progredi. Non tamen omnem ideo motum caligo mox impedit: perturbato enim apud homines sensu uno, alii magis magisque excoluntur atque singuli tandem apud coecum, visus tam egregie funguntur officio, ut hunc illis ipsis, qui linceis gaudent oculis, non raro reddant in discernendis rebus longe perspicaciorem.

Ast vero duce quodam usos esse illos oportet, qui nunc per tenebras securi ambulant sibique allisae pridem frontis offendicula viarumque impedimenta varia reddiderunt tam probe cognita,

Neque alia certe *Experientiae Medicae* natura est; & cicatricibus incederent facie notati numerosis, qui famam aliquam in arte nacti sunt, nisi cutem alienam feriisset contusio, & nisi antecessorum pericula, propriorum aliquomodo numerum diminuissent.

Observationum medicarum fidelis historia filum porrigit in hoc labyrintho ducem optimum, & qui hoc tandem propriisque bene experientiis instructus procedit; is, ni fallor, in allevandis mortalium miseriis, profunda licet nocte involutus, egregie tamen versabitur, neque ob novi morbi ingressum, tremulis mox fraena manibus laxabit, quae suo aegrotum fato indefensum committant. Quare, dignas notatu observationes, quisquis demum morborum fuerit exitus. Commentariis Academicis consignandi consuetudo, artem omni certe modo promovit, & concessa mihi abhinc in practicis laboribus utilitas me ipsum nunc invitat, ut ex proprio penu fasciculum colligam atque Vobis tandem, Sodales perillustres, hodie offeram.

OBSERVATIO I.

DE HYDROPE CUM VASORUM OSSIFICATIONE CONIUNCTO.

Ultimus Serenissimae stirpis *Badeno-Badensis* MARCHIO AUGUSTUS, aetatem degens 65. annorum, cuiusque ad aulam annis 1769-71., Medicus eram, a prima iuventute constitutionis erat debilioris, sensilioris, animi pathematibus variis atque inferiorum praeprimis extremitatum spasmis vexabatur. Aetate virili haemorrhoidum fluxu laborare incipiens, huic sanguinis excretioni per 25. annos sine incommodo subiiciebatur, donec novem ante obitum annis, sine caussa manifesta, haec tandem omnino sisteretur.

Hisce vero annis catarrhis persaepe, atque aliquando leviori pulmonum inflammatione afficiebatur. Cibis interim copiosis, farinaceis, glutinosis, salitis, crudis, rarius vino, sed per aliquod tempus a coena liquoris spirituosi, cum cerasorum nucleis parati, portione modica utebatur. Solebat Serenissimus Princeps per plures iam annos corpore ex omni parte constricto incedere: tam quod ob herniam, ut credebant, scrotalem, vinculum adhiberet; quam quod ob

leve aneurisma, verum ab infelici venaesectione productum, perpetua compressione uteretur; tam quod, ex consuetudine prava, vestem arctiorem, femora cum abdomine propius cingentem, aliis praeferret. Sedentariae interim vitae addictus, liberioris aurae atque motus corporei omni fere destituebatur beneficio.

Quinto ante morbum funestum anno, ob indigestionem, in hemiplegiam lateris sinistri inciderat aeger, a qua tamen, praeter sinistri cruris infirmitatem atque pedis eiusdem oedema, malleolos non superans, nunc auctum nunc imminutum, nullo alio vexabatur incommodo, quam quod, iam a multis retro annis, post pastum, non sine praecordiorum difficultate, alio modo, quam inclinato paullum in dextrum latus corpore, potuerit incedere: quae tamen vacuo iterum ventriculo mox evanescere solebat necessitas.

Iam ultra annum praeter modum rubebat facies. Respiratio, vel cum e lecto esset surgendum, vel cum scalae fuissent ascendendae, saepius cum sibilo reddebatur anhelosa, & sputa mucosa, alba tussi eiiciebantur. Varia interim digestionis obveniebant vitia, & urina saepius cruda, aquosa, pallida, copiosius excernebatur. Levia quandoque his opponebantur evacuantia, confortantia; vena vero diu anno aliquoties se-

cta; sanguinem offerebat crusta phlogistica plus, minus, obtectum. Assistebat interim eodem adhuc fatali anno, quas aulae suae humanissimus Princeps concedere solebat, choreis, aeremque respirabat impurum atque pulverulentum.

Die 22. Februarii 1771. Serenissimus invaditur febre catarrhali inflammatoria, quae tamen venaesectionibus & temperantibus tam feliciter cessit remediis ut optimus Princeps, se nulla per annos tam bona gavisum esse valetudine, in suorum solatium effaretur, atque 31. Martis coram suis publice compareret.

Ast vero pristini diaetae errores respirationem mox denuo reddebant difficiliorem, augebant tussim, pedesque novo tumore inflabant. Somnus conceditur adhuc sat naturalis, atque in utrumque thoracis latus eadem facilitate decumbitur, nisi quod ex consuetudine, dextrum hunc in finem praefertur.

Ex adhibita aqua *Schaidschutzensi* novae induciae. Ast vero 12. Maii, respiratio difficilior, hypochondria, praecipue dextrum, tensa, secretio renalis parca atque tarda. Cum interim novi errores in diaeta commissi, archiatris tunc visi essent laxantia denuo indicare remedia, eadem illa aqua minerali & tinctura rhei aquosa cum liquore terrae foliatae tartari, per 12. dies, tempore humido ac frigido, Princeps utebatur.

Augebatur vero debilitas, respirationis difficultas cum tussi, sputisque descriptis. Adhibebantur tunc pectoralia remedia, dein, interpositis diureticis, confortantia medicamina. Pulsus interim naturalis, neque palpitantis cordis ullus sensus erat. Interim respiratio adeo coercebatur, ut nonnisi erecto corpore suffocationis evitaretur periculum. Quamobrem tumor pedum oedematosus modo altiores agit radices, urinae imminuebatur copia & aquosa magis illa reddebatur. Adhibita sunt varia remedia diuretica; ast integras extra lectulum noctes transigens, ut suffocationem praeveniret aeger, mox femora vidit cum genitalibus & abdomine intumescere, cum interim facies, cum iugulo atque extremitatibus superioribus indies emaciarentur. Accessit sub noctem febris hectica, urinae reddebantur lixiviosae, altero mane turbidae, cum sedimento lateritio; alvus vero saepius de die laxabatur.

Hoc tempore & meum expetebatur consilium. Pulsum invenio inaequalem, debilem, saepiusque intermittentem. Accedit & syncope frequentior. Varia tunc adhibita sunt, quae Illustres Medici L. B. VAN SWIETEN, DE STORK, LORRY, STRACK, EHRMANN, COHAUSEN, proposuerant, atque urinam paullo videbantur promovisse remedia. Non obstantibus his, malum in dies augebatur, subitaneam saepius imminebat suffoca-

tio-

tionis periculum, aegrotum perpetuus detinebat sopor, tumorque undique augebatur. Noctis tempore aliquoties querebatur Serenissimus de *motus undulatorii sub osse sterni sensu;* thoraci vero sinistro incumbere iamiam nequit. Urinae rarae, lixiviosae, turbidae; alvus de die saepius excernitur foetida, siti interim parum adaucta.

Illustris quoque nunc TISSOTI consilium exoptatum est. Ast vero mors hoc praevenit, quae die 21. Octobris 1771., est insecuta.

Sectionis igitur in cadavere Principis a me susceptae historiam, ad Ill. TISSOTUM hic apponam quantum quidem illa ad rem declarandam facere potest.

Cadaveris sectio.

Auctis scilicet praeter modum anxietatibus, respirationis & decubitus in sinistrum latus, difficultatibus, pulsu tandem minimo, oscillante, tumore abdominis non tam aucto, quam ultimis diebus indurato, aeger Serenissimus vigesima prima Octobris expiravit.

Aperto cranio, ablatisque cerebri integumentis, integra corticalis substantiae superficies gelatina quadam ceneritia obducta apparuit, venae vero haec loca superscandentes sanguine atro tumebant. Cum ad anteriores cerebri ven-

triculos perventum esset; in sinistro *unam*, in dextro autem bene unam cum semisse flavescentis seri unciam invenimus. Pulmones erant nullibi adcreti, sed sinister in suppurationem abiverat. In thoracis cavitate sinistra erant eiusdem aquae *octo*, in dextra vero, *quatuordecim* unciae. Aperto pericardio, ubi praeternaturalem, maioremque lymphae copiam, ex motu illo in cordis vicinia undulatorio expectavissem, nonnisi duae unciae fuerunt detectae.

In corde ipso polypi plane nulli, neque in eius vasis maioribus, quae videbantur sana. Sed quod mirabar, arteriae cordis *coronariae* ab exortu suo plane omnino erant *ossefactae*. Ad abdominis sectionem progressis, se obtulerunt intestina admodum turgida & inflata: aquae vero limpidae librae circiter sex effluxerunt. Nullum plane vel in pancreate, vel in mesenterio; vel in hepate vitium detegere licuit. Arteriae renales cartilaginosam naturam ac duritiem exhibuerunt, crassitie ad ambos renes, caeterum sanissimos, adaucta. Mox ab arteriarum renalium ex aorta ingressu, haec *osseam* induebat naturam, paucis solummodo hinc inde locis conservata indole membranacea. Taliter usque ad suam in arterias iliacas divisionem descendebat: quae ambae, matris naturam insecutae, *osseae* ad ambo femora pergebant.

Haec ſunt; atque mira ſatis; quae me cadaveris docuit ſectio cauſſaſque morbi fatalis reddunt clariores, qui, neſcio quo fato, tres iam patriae meae Principes, *patrem* ſcilicet, LUDOVICUM heroem quondam Germaniae famigeratiſſimum, & ambos, qui ſucceſſerunt in regimine, filios, LUDOVICUM atque tunc AUGUSTUM Marchiones, quorum ſinguli oſſeas corpore gerebant arterias, ſingulos hydrope pectoris abſtulit.

Epicriſis.

Superſunt aliqua, quae ſuper hunc morbum litteris conſignare temporis tunc ratio non permiſerat. Incommodum ſcilicet illud, quod Princeps in vita ſenſerat ad praecordia, dum vellet erecto poſt menſam corpore incedere, & levamen, quod ex eodem in dextrum latus reclinato, percipiebat, ex cadaveris ſectione erant eruenda. Vetabat autem huius a me publice & coram Illuſtribus, a Sereniſſimo Principe ac Marchione *Badeno-Durlacenſi*, ſucceſſore, conſtitutis commiſſariis, noctis ad ingreſſum inſtitutae, decor & ratio, ne in ſingula, prout in minus nobili cadavere feciſſem, ſubtilius inquirerem; interim ſymptomatis ſingularis rationem mox detexit hernia, non quidem, ut ſibi perſuaſum ha-

buerant, inteſtinalis, ſed omentalis, quae forte vinculo non debuiſſet coerceri: quid quod teſticulus ipſe dexter (in quo loco omentum erat prolapſum) ſat inſigniter intumuerat &, forte quod Princeps ex equo pridem ad illum alliſerat, ſarcocelen ſic dictam nobis ſiſtebat: cui tandem tumori omentum ipſum a ventriculi maiori curvatura oblique & reſtis latae adinſtar ad abdominalem annulum deſcendens, firmiter adcreverat. Vacuo igitur ſtomacho minus tenſum, erecto corpore incedere facile permiſerat; mox vero ab aſſumptis cibis & mutato repleti ventriculi ſitu, non potuit non Principem, ut corpus tunc ad dextra & anteriora reclinaret cogere.

Patrem vero amboſque Marchiones filios, aetate nondum decrepita, cum oſſeo arteriarum maiorum ſyſtemate demortuos eſſe, cum tamen inter illum belli ducem indefeſſum, atque hos pacificos Principes, tanta, quoad vitae rationem, interceſſerat differentia, illam quoque Illuſtris TISSOTI, in datis ad me litteris humaniſſimis, attentionem omnem mereri viſa eſt. Ex veſte autem arctiori, cui aeger in vita erat adſuctus, corporiſque perpetua conſtrictione, videtur mihi inprimis haemorrhoidalis ille fluxus diuturnus facile poſſe explicari; neque ſine ratione, harum in novem ultimis vitae annis, ceſſationem ex hac demum inſecuta vaſorum abdo-

minalium maiorum offefcentia, derivaverim: cum, imminuta vaforum diametro, fanguinis portio longe minor per meferaicam inferiorem arteriam atque vafa hypogaftrica, atque fic fyftemati haemorrhoidali afflueret.

Aft vero huic ipfi fanguinis impedimento frequentes illos catarrhos, pulmonumque, leviores licet, inflammationes, in viro, ad has, alias non multum difpofito, adfcripferim: quibus tandem ipfa pulmonis finiftri fubftantia in pus fuerat converfa. Neque aliam fuiffe in tribus his principibus hydropis, quam in praeternaturali hac vaforum immutatione, rationem, mihi facile perfuaferim; atque mihi vero non videtur abfimile, morbum quandoque certis familiis proprium effe vaforum offefcentiam.

Actionem vero diureticorum hic in renes nullam fuiffe, ex renalium arteriarum ad duas tertias fere imminuta diametro, facile explicari potui, neque impediri tunc in me cogitatio poterat, num idem forte vitium in arterias fpermaticas agendo, in cauffa fuerit, cur ex ultima hac *Domus Badeno-Badenfis* ftirpe nulla unquam progenies fuerit enata. Ultimum, quod adiiciam, id eft, quod Illuftris MORGAGNI etiam hac mea obfervatione ultra confirmetur opinio, ex palpitatione motuque undulatorio fub fterno ab aegris perfenfo, ad *pericardii hydropem* nequaquam cum certitudine poffe concludi.

OBSERVATIO II.

DE HAEMORRHAGIA PERFORATIONEM CALVARIAE INHIBENTE.

IUvenis rusticus 24. annos natus, robustus & sanus, die 5. Augusti 1774. a rixante milite, peracuto ita percutitur gladio, ut ad anteriorem convexamque ossis frontalis partem dextram, in distantia pollicis unius cum dimidio a sutura sagittali apud adultos obliterata, vulnus, obliquo ad hanc ductu, externam cranii laminam divideret ac elevaret. Longitudo duos pollices superabat, latitudo adaequabat dimidium; finis extremus laesionis a sutura coronali distabat pollice integro.

Aeger conditionem suam nemini revelavit; sed salem in aceto solutum vulneri, ut sanguinem sisteret, adplicuit.

Die 8. Augusti, vulnus siccum tetrique habitus: varios scilicet eidem pulveres insperserat iuvenis, de nullo, praeter dolorem, symptomate graviori conquestus. Dilatato igitur vulnere, ad diploen usque obliquo hiatu illud penetrare invenimus, cumque praeter pulsum plenum & febrilem nullum aliud urgeret symptoma, praeter venae sectionem nihil est adhibitum.

Verſus 11. Auguſti, aeger pectore alias ſaniſſimo praeditus, tuſſim frequentem patitur, cui ſe thoracis dextri adiungit dolor punctorius. Vena ob id in ſecundam vicem ſecta, enemata aliquot iniecta, & antiphlogiſtica levia laxantia ſunt adhibita, ſub quibus illa ſymptomata ſopiebantur. Vulnus tegebatur pure laudabili, & die 14. Auguſti, lamina oſſea, gladio iam ex parte ſeparata ſponte ſecedebat. Labia vulneris optimi ſunt coloris & omnia ſanitatem mox futuram promittunt.

Die 24. Auguſti, priſtina circa pectus ſymptomata recrudeſcunt, augetur calor, aegerque difficulter reſpirat. – Adhibitis vero praedictis remediis, malum denuo victum videbatur.

Die 28. tota faciei pars dextra oedemate intumit, quod, ubi erbis aromaticis ſiccis leniter fovebatur, fere in integrum evanuit. Caetera ſymptomata ſunt optima.

Die 5. Septembris, augetur in multum tumor oedematoſus, increſcit febris, aeger inquietus eſt & difficulter reſpirat.

Die 6. verſus noctem, vulnus ſiccum, lividum; quae iam in illius ſinu excreverat ſubſtantia ſana, vulnus carne adimplens, haec nunc fungoſa eſt malique adſpectus. Vena de novo aperitur & perforationem cranii die 7. Auguſti inſtitui curo.

Coronam igitur instrumenti perforatorii ita imposuit Chirurgus vulneri, ut eius sectio medium illius occuparet. Vix vero ad diploen pertigerat, cum annulus a coronae dentibus in calvariae osse productus, sanguine mox repleretur, quem ex pluribus arteriis provenire docebat motus huic vasorum generi proprius. Spongia eductus sanguis illico de novo replevit annuli cavum ita ut hoc opus, in hac saltem cranii parte, absolvere, non datum fuerit. Augebatur haemorrhagia & plures arteriolae videbantur aperte sanguinem, non quidem copiosum, eiaculari, super genas mox defluentem.

Cum tamen de operationis necessitate fuissem omnino persuasus; novum eligere locum studui, cui corona perforatorii instrumenti posset adplicari: ast vero aeger mox exclamat, se mallei quasi ictus in cerebro persentire visumque sibi deficere.

Sequebatur nunc lipothymia, a qua res aegri pessimum in statum mox fuit conversa, pulsu parvo, celeri, inaequali, respiratione vero difficiliori redditis. Versus noctem accesserunt deliria, extrema frigus occupavit; die vero sequenti post meridiem aeger e vita secessit.

Sectio cadaveris.

Dissectum cranium offerebat calvariam crassitie hinc illinc valde inaequalem. Nulla per sic dictam vitream tabulam fissura penetraverat. Interna calvariae seu ossis frontalis superficies, quae illi loco respondebat, cui perforans admotum erat instrumentum, excavata fuit ita, ut fabam mediocrem facile reciperet: hunc vero locum concavum *septem vasa* totidem foraminibus perforabant & ad ossis substantiam migrabant, diploe hic omnino destitutam, hinc multo tenuiorem. Cum igitur sic dictae coronae dentes, super hunc locum agentes, in eo iam prius ad ipsam pervenerant laminam vitream, quam in aliis dimidiam calvariae crassitiem penetravissent; vasa illa oportuit necessario dilacerari atque sanguinem in illis contentum profundi: quemadmodum aliqua potuerunt conspici foramina, quae, postquam per laminam cranii vitream penetravissent, in ipso artefacto circulo serra desinebant disrupta. Tam dura mater, quam ablatis tegumentis, ipsum cerebrum naturaliter se habebant, neque liquidum illis extravasatum inhaerebat. Ventriculus cerebri dexter aquae circiter unciam continebat subflavae: ad basin vero cerebri, sanguis ad unciam unam cum dimidia stagnabat. Pulmo dexter cum pleura concretus, ulceribus obtegebatur.

Videtur omnino mortis cauſſa in extravaſato hoc ad fundum calvariae ſanguine quaerenda eſſe ; neque dubitandum credo , hunc a prima cerebri concuſſione fuiſſe effuſum . Prima interim ſymptomata hunc cerebri ſtatum nequaquam indicaverant .

Hepatis ſuppurationes a vulnere capitis ſaepius adnotarunt obſervatores Medici . In noſtro caſu videtur omnino & pulmonis vitium non inique a cerebri affectu derivandum , vel ſic dictam inflammationem conſenſualem huic cerebri perturbationi eſſe attribuendam .

Attentionem vero meretur haemorrhagia ab operatione nata , aegroti ſub ea ſingularis perceptio & inſecuta mox ſyncope cum evidenti ſymptomatum incremento , iam altera die in mortem abeunte . Certe inſuetus adeo non eſt vaſorum ad internam calvariae ſuperficiem & caveas huic inſculptas luſus , quae non minimis adeo truncis laminam vitream aliquando perforant . Quamvis igitur hanc ob rationem calvariae perforationem , ubi vere indicatur , minime recuſaverim , cum & ipſos ſuper cerebri ſinus inſtitutam , felix eventus comprobaverit : eſſe tamen momentum non minimae conſiderationis aliquod crediderim , ne , novo conſilio , mox a

prima molestorum aliquot symptomatum apparitione, ad trepanum inconsulto confugiamus. Non quidem detexi sanguinem a laesione extravasatum calvariam duramque inter matrem stagnavisse; quodsi tamen opus absolvissem, videtur omnino tale quid fuisse exspectandum; neque dubito, quin, in certis diffracti cranii casibus, ubi, post illius in una parte perforationem, sanguinem durae matri incumbentem detegimus neque tamen, eo educto, symptomata leniuntur, sanguis novus ex ipsis forte perforatione laesis vasis effluxerit, eductique cruoris locum ipse occupaverit: quod saltem in illis casibus attentione dignum esse mihi videtur, ubi, post institutam similem operationem, in demortuis sectio legalis instituitur & de sanguine hic haerente quaestio nascitur, num ante perforationem susceptam hic exstiterit, num vero hanc, & quidem num ex naturali, vel mutata ossis fabrica, fuerit insecutus.

OBSERVATIO III.

DE

PARTU DIFFICILI OB HYDROPEM INTESTINORUM.

Cum anno 1775., mense Decembris, Principem Episcopum *Spirensem* cuius tunc Archiater eram, WAGHAUSELIAM comitarer, locum amoenum, passuum duo fere millia ab urbe munita, quam *philippiburgum* nominant, distantem, accidit, ut (una cum amico), post prandium, hanc civitatem ambulando peterem. Pharmacopolium ibidem inspicere cupidus, vidi, a veterano Medico *pulverem ad partum difficilem* fuisse praescriptum. Cum ab hoc parum esse sperandum, iure credidissem: inquisivi, quibusnam sub circumstantiis in hac urbe, tunc expertis obstetricibus necdum bene instructa, pulvis ille tam necessarius petuisset videri. Mox autem ipse a parturientis marito, qui adventum meum in urbem perceperat, ad uxorem accessitus sum.

Parturientem vegetam 43. annos habentem, octo iam prolium matrem, per horas 24. & ultra, inanes ad partum, quem crediderant proximum, dolores vexaverant. Refert praesens huic operi obstetrix, caput foetus, toto hoc in-

tervallo, cunei adinſtar haeſiſſe, nec ulla dolorum vi vel artis adminiculo potuiſſe e loco moveri. Rem hanc ipſe explorans, illam multo ſe aliter habere facile mox percipi: infantile enim caput videbatur inferiorem pelvis aperturam ex parte iam fere tranſgreſſum, atque colore erat flavo nigroque deforme.

In capite igitur retardati partus cauſſam non inveniens humerum forte ad os pubis haerere, neque tamen, hoc in ſitu, tanto ante truncum ſpatio caput protrudi potuiſſe credidi, atque mox dubitare coepi, num colli inter ſe adhuc vertebrae cohaererent? Auribus enim non raro ab obſtetricibus prehenſum, atque alio violento modo protractum foetus caput a trunco ſeparari, cute iuguli, utpote magis extenſibili, adhuc integra, experientia noveram.

Atqui ſic rem ſe omnino habere, mox potui detegere: colli enim vertebrae diſtractae, ſpatium inter ſe vacuum, cute tamen obtectum, exploranti offerebant digito. Caput igitur foetus mortui, utpote remoram partui faciens, vi minima a trunco ſeparavi. Mox vero perſentiebam, humeros, cur corpus foetus caput praevium non inſequeretur, in cauſſa non eſſe. Interim uterus, effluentibus iam ante multas horas aquis, circa infantile corpus valide conſtringebatur, Brachium dextrum, quod inquirenti ſe mihi of-

ferebat, protrahere satagens, nixus matris in prolem editos, & ex altera parte omni modo secundabam. Cum haec non sufficerent, alterum quoque eduxi brachium: neque tamen eventus tunc votis magis respondebat, sed brachia foetus, capite iam a trunco separato, a thorace facili opera divulsa sunt.

Quare in tanti impedimenti caussam ulterius inquirens, diffractis primum digitorum ope, ne converso foetu caeterum laederent, colli ossescentis acutis angulis truncum, in quantum potui, ad latus pelvis dextrum dimovi, viamque paravi manui, cui tandem altius ascendenti pes sese obtulit. Arrepto hoc, alteroque mox quaesito, non dubitavi, mox totum infantis corpus hos, secundum pulvis axim a me protractos, esse nunc insecuturum.

Ast vero nova mox impedimenta persentiebam, neque dubium tunc supererat, quin abdominalis foetus hydrops, seu *ascites*, partem moraretur. Diagnosi per manum utero immissam confirmata, instrumentum perfodiendo foetus abdomini adcommodatum deerat. Forcipem igitur longam, quam scindendis chartis adhibent, credidi hoc supplere: sed altius haerebat foetus abdomen, quam ut hoc demum instrumento illud adtingere datum fuisset, neque sic dicto *perforatorio capitis* communi, si ad manus etiam fuis-

ſet, ullo modo potuiſſet perforari. Legem ergo novam impoſuit neceſſitas, cui obtemperans, ſcalpellum manui dextrae uterum denuo petenti ita commiſi, ut omne laeſionis periculum manus propriae volam, non muliebria, reſpiceret. Cum ſic ad infantile abdomen perventum eſſet, illud, non tamen ſine magna difficultate, cum id unica, eaque compreſſa fortiter ab utero conſtricto, manu, peragendum fuiſſet, perfodi.

Effluxit mox aquae circiter libra. Cum tamen volumen abdominis exhinc non multum imminueretur, dilatato ſenſim vulnere atque immiſſo ſat largae plagae digito, aquarum nunc ſatagebam promovere effluxum ulteriorem. Sed & haec conamina votis non reſpondebant.

Difficili ergo lentoque partus labore, quem, pedes ad pelvis axin caute trahendo, promovebam, poſt horas noctiſque ingreſſum, opus hoc feliciter tandem abſolutum eſt.

Mirabar foetus protracti menſaeque ſuperimpoſiti molem plane inſignem, neque videbam, quomodo tam turgidum abdomen e pelvi exitum potuerit aliter invenire, niſi, viſceribus cum diaphragmate in pectoris cavum protruſis: abdominis ſic latitudo & volumen multum quoque decreviſſent, & tarda dolorum vis optato fuiſſet auxilio. Sed aucta mox eſt admiratio, dum vulnus ad duos fere pollices infra umbilicum foetus,

in utero adhuc haerentis, abdomini a me inflictum, amplum satis atque in cavum illius penetrans, immissis denuo digitis, nullam tamen aquam profunderet.

Abdominis igitur integumenta atque musculos nunc dissecui, illiusque cavum inveni, intestinis aqua pellucida turgidissimis omnino repletum. In ipso abdominali cavo aquae nullae haerebant: interim vulnus huic in utero inflictum uno in loco ad *intestina* penetraverat, ibique canalis iste alimentarius ad palmae unius longitudinem erat in se collapsus. Ast nulla erat cavi perfossi cum caeteris intestini cavis communicatio; sed totus intestinorum tubus ex amplis vesicis seu ampullis, inter se distinctis, in diversis locis contractis, interne connatis, coecis, aqua limpida distentissimis, constabat. Ex totidem igitur & plus quam viginti saccis, amplitudine inaequalibus, formabatur *hydrops intestinalis*, qui in crassis praecipue intestinis maioribus turgebat cistis, quarum aqua, inflicto minori vulnusculo, cum impetu, quin sociae per idem foramen potuissent depleri, prosiliebat.

Aquae vero non infra *octo* libras in cavo intestinali sic contineri, mediocri calculo potui coniicere. Temporis enim penuria (nam solus tunc aulam Medicus insecutus eram & urbis munitae portae nunc erant obserandae, quae regressum

greffum ad illam hac nocte erant impediturae) fubtiliorem cafus rariffimi inquifitionem, quam valdopere defideraviffem, omnino denegavit. Interim puerpera a difficili certe labore multum quidem debilitata, feliciter tamen eft reftituta, & in hanc ufque diem optata gaudet falute.

Narratorum adumbratio.

Exemplum *hydropis inteftinalis* me legiffe non memini: quam ob rem fummopere dolui, quod praeternaturalem hanc inteftinorum conftitutionem ulterius & pro dignitate inveftigare non potuerim. Non tamen, ut arbitror, abfque fructu, futuris in cafibus erit obfervatio, ubi partus, ob infantilis abdominis molem, retardatur & expertae manus fibi expofcit auxilium. Aquis in hoc cavo collectis, molem illius infigniter poffe augeri, plures aliorum & propriae obfervationes teftantur, atque perforationem integumentorum abdominis, tunc recte inftitutam, mox collapfi foetus enixus folet infequi.

Aft & *hydropem* abdominis *faccatum*, vel & *hydatides* hic aliquando fubeffe, aeque poffibile eft: quo fit, ut fimplici abdominis perforatione, aquae non evacuentur, & Chirurgus rei cauffam non fufpicans, circa adhibenda tunc auxilia dubius anxiufque haefiturus fit.

Oportet igitur, in simili casu, abdominis cavum tam *amplo vulnere* aperire, ut, nulla in eo fluida ullo modo posse contineri, quae non facilem queant exhinc invenire exitum, reddamur securi. Quodsi & ego hoc in casu ultra simplicem perforationem fuissem progressus: potuissem certe partum multo expeditius, quam feci, absolvere; ast vero cum aquae parva tantum portio primam abdominis vulnerationem esset insecuta: poteram de illis, quae in caussa erant, modo non cogitare; ut vero cogitent demum alii, exemplo hoc monere, non credidi esse superfluum.

G. M. GATTENHOF

MED. PROF. HEIDELBERGENSIS,

ET

IO. BAPT. MASSATI

PALATINO-BRETTENSIS

DISSERTATIO
INFLAMMATIONUM FALLACIAS EXHIBENS.

Heidelbergae 1786.

§. I.

Inflammationum fallaciae.

INflammationis, quae in ſummo motuum ſanguinis augmento in partem adfectam, in vaſa etiam tenuiora porrecto, cumque eius in telas celluloſas effuſione conſiſtit; quanquam perſpicua ſatis, ſi partes externas obſederit, phaenomena ſint, totidemque illorum motuum & effuſionis effectus in rubore, tumore ſaepe inſigni, doloris

vario gradu, in parte adfecta flagrante, calore plus, minus aucto: phlogisto, globulis rubris potissimum innexo (*a*), iis motibus magis evoluto; summa tamen totius huius diagnosis difficultas, si internas partes ac viscera status inflammatorius occuparit, observatur, saepius nonnisi cadaverum sectione eruenda. Argumentum profecto consideratione academica dignum themate inaugurali pertractandum censui.

§. II.

Fallaciae a diversa sensibilitate & irritabilitate.

Diversa inprimis partium, ac viscerum internorum sensibilitas, pro nervorum ingredientium copia ac dispositione ad eius partis functionem requisita, diversa irritabilitas a fibrarum motricium, quae partis fabricam & actiones instruunt, diversos doloris modos variant, obscurant saepe, Medicique indagini illudunt, ut ardens alias pungensque summa intensionis nervosae vi intollerabilis, in leniores incommodorum modulos vertatur; febris vix ulla, neque in motus, latenti iniuriae proportionatos, evehatur, atque fallaci laesarum functionum sympto-

(*a*) HALLER Elem. T. II. p. 6. 150.

matumque lenitate; aliis levioribus morbis communi, alienis larvis fallat; quas demum invalescentibus viscerum adfectorum ruinis, lethalia inter symptomata, aut in morbos chronicos, quibus vix ulla deinceps medela artisque conatus sufficiunt, terminata, serius, ocyusve deponat aegritudo; renum ita insensilis fere fabrica, quae saepe absque sensu ingentes calculos, suppurationem ipsam recondidisse visa est, vitia quoque inflammatoria occultat, difficillimamque saepe diagnosin reddit, ut nec febris, in obesis maxime, ac pituitosis, vehemens, nec illa pulsuum exhibeat phaenomena, potissimum in duritie posita; sed potius in aliis partibus occurrat laesio, cum qua facile confunditur nephritis (*a*). Omenti, peritonaei inflammati absque sensu notisque aliis cadavera ostendere (*b*).

§. III.

Fallaciae a debilitate.

Aliae huc caussae pertinent vires nervosas deiicientes nimis, quaecunque fere, aut ex mor-

(*a*) V. SWIETEN Tom. III. p. 230.
(*b*) LIEUTAUD hist. anat. p. 57. 62. 83. STOLL rat. med. II. p. 381.

bis praegressis, potissimum nervosis; humorum vitalium iactura nimia, per haemorrhagias, venae sectiones toties pro ratione corporis inconsultas, aliasque evacuationes, e Venere praematura nimiave, aut ex ipso teneriore solidae fibrae nervosaeque stamine, aut ipso etiam senio, deiecto virium vigore, inductisque nervorum callis obrigescente. Ita quas partes nervorum copia donatas, summis tormentis, febre vehementiore exagitat inflammatio, uti in paronychia adfectibus podagricis, cardialgiis, colicis inflammatoriis; ita partes minori nervorum vi scatentes, ossa ipsa, eorum meditullia aliasque partes mitioribus illis phaenomenis incommodisque mulctat, licet in graviores sensim noxas emergat.

Eadem ratione, quos Venus praematura nimiave debilitat, uti coctionis in morbis, criseosque difficultates infert (*a*), febres benignas in malignas pervertit (*b*), variolas benignas malignas reddit (*c*), ita latentes saepe viscerum inflammationes quam maxime occultat obscuratque, ut facilibus occultisque gangraenis praeter exspectationem & ante tempus, emarcido iuventu-

(*a*) DE HAEN rat. med. P. VIII. p. 82.
(*b*) ZIMMERMANN von der Erfahrung P. II. p. 396.
(*c*) ROEDERER de morbo varioloso. p. 38.

tis delicatulo flore, occidant. Senii eadem debilitate nervosa, coctionis, perfectiorumque crisium impedimentis febres catarrhales benignae etiam statui inflammatorio vicinae, eadem liquidi in telas cellulosas effusione asthmata, tusses, catarrhos suffocativos inferunt adnotante LUDWIGIO (a), & crebra experientia, atque toties inflammationum fallacias alunt, ut brevi dierum spatio sub sola pulsuum maiore celeritate, sed ingenti virium prolapsu, saepe nullo alio insigniore symptomate, febre gangraenosa, viventium numero bono toties animo valedicant.

§. IV.

Fallaciae a minore visceris parte adfecta.

Inflammationis latentis vitia porro adfecti visceris, minus praesertim sensilis, minor quaedam portio occultat, ut nec febrilis commotionis, nec laesae functionis indicium quoddam notatu dignum ac symptoma antecedere videatur. Pulmonum tubercula, scrophulosae aliorum viscerum minoribus in plagis adfectiones diu etiam in statu inflammatorio, ac suppuratorio etiam, absque

(a) LUDWIG. adverf. Vol. III. p. 256.

peculiaribus symptomatibus, quae diagnosin satis instruant distinguantque, tolerantur; haec phthiseos toties chronicae statum exhibent. Vidi calculosam materiam, veraque copiosa sabula tussi e pulmonibus eiecta absque notabili alio symptomate, donec febris accedens evidentiorem inflammatorium ac suppuratorium pulmonum statum declararet. Ita leviores peripneumoniae catarrhi specie fallunt, ut neglecto morbo, vomica pulmonis funestaque phthisis sequatur (*a*). Clandestinam pulmonum inflammationem sub specie catarrhi suffocativi saepe mortem inferre, ex promptuario hetrusco adnotant comm. lips. (*b*); sollicitum inde PRINGLII (*c*) monitum; catarrhum a frigore inductum haud negligendum esse, cum fere semper inflammatorii quid habeat. Iisdem rationibus dantur pleuritides, quas forti respiratione, profundaque tussi imperata detegere monuit BAGLIVIUS (*d*): annon illae tunc latent inflammationes, quae solam pleuram, eiusque propagines, mediastinum, pericardium occupant? Uti insensiles fere omnes, ita absque

---

(*a*) Observ. MORGAGNI de sede & caussis morb. Ep. XXII. n. 52.

(*b*) Comm. de reb. in sc. nat. & med. gest. Vol. VII. p. 318.

(*c*) De morbo cast. p. 177. 178.

(*d*) Pr. med.

insigni dolore adficiendas. Clandestinas peripneumonias tales dari, quae nec tussi, nec dolore, nec spirandi difficultate detegi possint, adnotat LIEUTAUD (a), sed & peripneumoniae symptomata dari, quae haud inflammatoria videantur; sed cum febre intermittente, observat SELLE (b) febrem peripneumonicam, periodicam observavit SARCONE (c).

§. V.

Fallaciae a caussis externis.

Caussis externis, contusionibus, vulneribus eadem ratione toties ingentes viscerum iniuriae, noxaeque demum lethales chronicas inter calamitates flagrant, dum in suppurationes, ulcerationes chronicas, infarctus scirrhosos abeunt, qui praegressum statum inflammatorium, echymomaticum, effuso in textus cellulosos liquido gelatinoso, cum latis vicinarum partium concretionibus supponit; quin latentis inflammationis phaenomeno praeter doloris obtusi molestias quasdam perennantes, absque febre, ipsi accuratiori

(a) Synop. pr. T. I.
(b) Pyretologia. p. 307.
(c) Epid. Neapol. I. p. 198.

aegri ſenſui, Medicique examini ſe prodiderit; donec lenta corporis conſumptione febriculae hecticae igniculis, virium lapſu ſucceſſivo, graviores occultas viſcerum noxas exhibeat, quae cadaverum demum ſectione innoteſcunt. Hepatitidem a contuſione regioni hepatis illata, in ſcirrhum terminatam obſervavit CAMERARIUS (*a*): a preſſionibus diuturnis in laboribus curvato corpore peragendis adnotat LEVISON (*b*), atque haud rara in eo opificiorum genere tumoris circumſcripti abdominis obſervatio, omenti indurationes oſtendit, quae clandeſtinis haud dubie in parte inſenſili inflammationibus ortum debent. A ſimili contuſione vidi ſcirrhoſos hepatis infarctus cum latis ad ventriculum concretionibus, medioque abſceſſu a plaga illa hepatis ipſum ventriculum penetrante, cum interim aeger chronicas ſuas miſerias diaetae errori potius ac cibo adſumpto difficiliori adſcriberet: plures eiuſmodi caſus ſectaque cadavera vidi cum latis ſuppurationibus a talibus partium internarum contuſionibus ante annos praegreſſis, cum nulla vera certaque morbi latentis occultiſſimique diagnoſi, aut ullis praegreſſae inflammationis indi-

(*a*) De extiſpiciis hep. defunct. Vol. III. HALLER p. 557.
(*b*) Lond. prax. p. 127.

ciis, ut has externas in adultioribus fenibufque iniurias a lapfu, contufione qualibet, praefertim pleno ventriculo quam maxime extimefcendas arbitrer.

§. VI.

Fallaciae a materiae indole.

Sed & materiae latentis indole, quae diverfo toties acrimoniae genere diverfos nervis vafifque ftimulos infert, oeconomiae animali intolerabiles, uti diverfa inflammationum genera in partibus externis flagrant, ita internarum partium adfectione, aliena morborum facie, ac diverfis omnino modis terminifque occultari poffunt. Phlegmones manifeftiora phaenomena a fanguinis liquidorumque lymphaticorum congeftorum adfluxu probam tandem, nifi refolvatur, fuppurationem moliuntur; a qua tota natura fua, ac materiae peccantis indole diverfiffimum v. c. eryfipelas tum mobilitate fua, tum chronica faepe indole in ulcerationes chronicas abit, atque dum internas partes ac vifcera obfidet, occultat morbi ingenium & chronicas toties inflammationes levioribus faepe fub phaenomenis efformat: fub dolore levi chronico ab hepatis regione verfus renem, latuiffe inflammationem eryfipelaceam

hepatis; ab herpete repulso productam refert HALLERUS (*a*): Hepatitidis epidemicae genus in fervidis aridisque tempestatibus describit BIANCHI (*b*) cum febre, ardoris sensu in hypochondrio dextro, absque tumore aut tensione ad hepar; quam erysipelaceam, tum a sua mobilitate, tum facili metastasi iudicat, quam variam macula saturate rubra, totum hypochondrium dextrum occupante erysipelate faciei fervidissimo, critico, aut simili in ipsum cerebrum, metastasi cum subita phrenitide lethali exhibuit. Ad ipsum inflammationis erysipelaceae genus pertinere aliquando videntur pleuritides, peripneumoniae epidemicae, quae exanthematibus in cute obortis, petechialibus, purpuraceis, morbillosis, scarlatinis, quae sub larva pleuritidis, peripneumoniae varia, saepe malignissima indole latent (*c*), aut solvuntur, aut exasperantur, quarum haud dubie vitia in tenuiori liquido ac sanguine dissoluto consistit; uti sanguinem hoc casu venae sectione missum, tenuem, floridum observavit HUXHAM (*d*), crebraque experientia testatur; quae febrium genera pro tenui erysipelate, pul-

(*a*) Nov. Comment. A. R. Goett. T. VIII. p. 7. 8.
(*b*) Hist. hep.
(*c*) Conf. SALZMANNUS de purpura. Vol. V. HALL. pr.
(*d*) De febr. p. 89. 90.

monem adficiente habet ALLIONIUS (*a*) ; quam speciem describit VALCARENGHI (*b*), ubi pulmones inventi in cadavere molles, rubicundi, inflammati, qui in vero genere phlegmones duri compactique observantur, quod certe ab aliis varia symptomatum facie differt, neque in suppurationem abit, nec coctione suppuratoria solvitur, uti sputis coctis puriformibus; sed nisi blande solvatur, gangraenam facile inducit.

§. VII.

Fallacias ab inflammatione chronica.

Referri huc debent inflammationis genera vere chronica, quae diuturno toties decursu ab acutis distincta sunt, cruditate diutius absque aliquo consueto alias inflammationum aliarum exitu persistente. Efformari haec videntur benigniore liquidi congesti acrimonia, visceris minore irritabilitate, parvaque eius portione adfecta, neque adeo tantum functiones laedente, neque vim vitae in vehementiores motus incitante, unde familiaria alias symptomata l. pauciora, l. nulla, l. obscura comparent, ut & aegri ipsius

(*a*) De miliaribus p. 107.
(*b*) Vid. Med. Commentar. T. V. p. 397.

fallatur ſenſus ; & Medici iudicium alium quemcunque morbum potius, quam latentem inflammationem concipit. Univerſum inteſtinorum ſyſtema inflammatione corruptum vidit MORGAGNI (*a*), quin in toto morbi decurſu minima quidem pulſus intenſio, aut motus febrilis animadverti potuerit ; hepatitidem mox acutam mox chronicam memorat CULLEN, quae nonniſi effectibus motae ſuppurationis abſceſſuſque relicti recte dignoſci poſſit.

Pleuritides ac peripneumonias veras deſcribit STOLLIUS (*b*) ſolo aſthmate per hyemem durante, mox dolore exiguo punctorio in latere, longiſſimo tempore infeſtante ſtipatas, etſi omnibus caeteroquin muniis fungerentur, cum pulſu aut ſano, aut ab eo non multum abludente, mox abſque illo dolore ; ſola difficilior reſpiratio & cum pulſu naturali, tuſſicula & quadam pectoris oppreſſione, a fortiori profundiorique inſpiratione, aut validiori, data opera, facta tuſſi, aut maiori exercitatione, curſu ſanguinis incitato aliquis dolor punctorius ſentitur ; ſectione cadaverum eos clandeſtinae inflammationis ſtatus deſcribit STOLLIUS l. c.

(*a*) L. c. Ep. 38. n. 22.
(*b*) Ratio med. T. I. p. 148. 149.

Ipſam phlegmonem veram dari chronicam idem (*a*) comperit, quae diuturno tempore cruda perſiſtit, antequam vel benigne reſolvatur, vel in ſuppurationem abeat, vel induretur, vel gangraeneſcat. Eadem harum adſectionum ratio videtur, quae externis in partibus ophthalmias chronicas, eryſipelata chronica, parvas alias inflammationes cutaneas, potiſſimum ſcorbuticas diutiſſime durantes, toties videmus.

§. VIII.

Fallaciae a ſede adſecta.

Aliae inflammationis, ſuis licet ſymptomatibus ſatis perſpicuae, fallaciae in determinanda ſede adſecta notandae ſunt; dum nervoſis commerciis aliarum partium vitia in ſenſus alienos iudiciique errores toties transferuntur, ut alias omnino partes inflammatione tentatas credamus; id quod copioſis in ſingulo fere viſcere exemplis conſtat. Ita phrenitis, quam inflammationem cerebri partiumve ad id pertinentium cum febre acuta, deliriis continuis plus minus ferocibus, aliis ſanguinis verſus caput nimium congeſti phaenomenis dicunt, toties illudere viſa eſt;

(*a*) STOLL l. c. p. 116.

Dari namque inflammationem cerebri absque phrenitide adnotat SARCONE in epidemia Neapolitana, quam describit (*a*); dari inflammationem cerebri absque delirio observat MORGAGNI, ipseque BONNETUS *in sepulchreto* sectionibus cadaverum illustrat (*b*), nullum aliquando vitium repertum adnotat STOLL (*c*); dum caussae e contra in visceribus abdominalibus, bile latente putrida, gangraenosa viscerum constitutione haerent, uti copiosae sectorum cadaverum observationes testantur; ut sola irritatio nervosa ad delirii phrenitici symptomata sufficere videatur; uti adnotat MORGAGNI observationibus sectorum cadaverum edoctus (*d*) atque phrenitis idiopathica, quae quidem negari nequit, respondentibus sectorum cadaverum observationibus, omnino rarissima sit, uti adpellat HOME (*e*), atque ambigua inflammati cerebri signa recte censeat STOLLIUS (*f*). Vidi secto cranio phrenitide defuncti nullum inflammationis indicium, solum ventriculum dextrum cerebri materia illa cru-

(*a*) L. c. P. II. §. 542.
(*b*) L. c. p. 202.
(*c*) L. c. P. IV. p. 242.
(*d*) L. c. Ep. VIII. n. 8.
(*e*) Princip. med. p. 101.
(*f*) L. c. P. III. p. 201.

cruſtoſa, quam ſanguis venae ſectionibus parcis crebriſque eductus exhibuit, onuſtum. Pleuritides quas a conſuetis alias ſymptomatibus veras dixeris, quoties ſola ſpaſmorum vi effinguntur, ut ea in artus converſa ſolvantur.

In morbis acutis pectoris epidemicis ſaepe hepatitidem ſubeſſe adnotat SARCONE (*a*) maxime ſi partem hepatis convexam, aut quamcunque, quae bilis vias aut laedat, aut icteri coniungat phaenomena, obſideat inflammatio; quam difficultatem diagnoſis teſtatur *Hiſt. morb. Wratislavienſium* (*b*), dum eo in adfectu dolor ſaepe haud hepatis regioni reſpondet; ſed ad ſcapulas, iugulumque aliquando perſentiſcitur, maiorem inter reſpirandum dolorem ad iugulum uſque protenſum, comitantem tuſſim ipſe teſtatur SWIETENIUS (*c*), quae alias pleuritidis phaenomena ſunt; ſed hic a diſtracto diaphragmate ipſique connexa pleura orta. Eadem toties lienis inflammati facies eſt, quae dolores ad humerum, mammam, claviculam ſiniſtri lateris protendit, pleuritidis aemulos, teſtante SWIETENIO (*d*), ut valde probabile ſit, ſub pleuritidis

(*a*) L. c. P. I. p. 237.
(*b*) Pag. 46.
(*c*) T. III. p. 93.
(*d*) L. c. p. 153.

nomine tractari lienis inflammationem, aut hepatis, cum eadem utriusque morbi medendi ratio sit. Exempla habet BONNETUS (*a*) item DE HAEN (*b*), qui & alibi adnotat, lienis inflammationem comitari absque ullo alio signo, sola cadaveris inspectione conspicuam (*c*) addit quoque alibi dolorem pleuriticum, dum inferiorem thoracis partem occupat, alia viscera abdominis saepe intestina adfecta subesse (*d*); ita quidem dolor pleuriticus ab aliarum partium adfectione produci simularique potest. Adfectus verminosos observat BALDINGER (*e*), it. de SAUVAGES pleuritidem verminosam vocat: pleuritidem verminosam epidemicam describit MORGAGNI (*f*), ubi quidem a febre, pulsuum duritie, indoleque epidemica diagnosis peti debet. Dolores colici, flatulenti, ingluvies pleuritidem saepe mentiri possunt incautis (*g*); ita quoque phaenomenorum pleuriticorum pro diversa & sede & productione pleurae mira variatio est; diaphragmatis quidem inflammationem, cuius faciem superiorem investit pleura, dolor, respirationis gravitas, febris

(*a*) L. c. p. 635.
(*b*) De sensibilitate & irritabilitate p. 81.
(*c*) Rat. med. P. IX. p. 55.
(*d*) L. c. P. XIV. p. 81.
(*e*) Krankheit. der Armee. p. 277.
(*f*) L. c. Ep. XXI. n. 43. 46.
(*g*) VOGEL de cognosc. & curand. morb. p. 152.

vehementia exhibere potest; dum in parte minus mota, uti sub sterno, mediastino anteriore posterioreque minor doloris acerbitas, haud pungens, saepe gravativa, fervoris sensus ibi locorum, respiratio minus laesa, anxietas tamen, suspiria, febris acuta distinguunt; sed eius in pericardium porrectae ingens calamitas est; distinguit crebra syncope, palpitatio, tremor cordis, anxietas, respiratio creberrima, dolor levis in thorace circa sternum cum angustia summa, mors cita, alia symptomata laesam actionem cordis testantia.

§. IX.

Continuatur animadversio.

Sed & similia aliorum viscerum inflammatorum fata, atque in diagnosi difficultates sunt, breviter quoque nobis expendendae, quae ingentes saepe ventriculi inprimis sunt, qui inter alia viscera medius disponitur, copiosisque nervorum commerciis connectitur, dum inflammatione tentatur, haud fida satis proprii vitii, aut aliarum partium adfectarum signa, nec a doloris sede, nec aliis comitantibus symptomatibus magis propriis, uti singultu, vomitu &c. prodit, dum vel adfecti hepatis, partis praesertim epigastricae,

ventriculo incumbentis; quam facilius prae reliqua parte inflammari, indeque toties cardialgias chronicas, aliaque mala relinquere FERREIN (*a*), oftendit, l. pancreatis, l. renum, l. aliarum vicinarum partium adfectionibus communia flagrant fymptomata; nifi quidem ab ingeftis parca copia ventriculum haud diftendente, talibufque, quae caeteroquin facile fert; illico cum vomitu, fingultu exacerbetur dolor, qui contactum loci adfecti fignificat; perinde ac oculus inflammatus irritantem cauffam, v. c. lucem ferre nequit.

Verum & inteftinorum fenfibilitate alias a vi nervofa, atque irritabilitate infigni gaudentium, quae graviffimis toties colicis doloribus diaetae antegreffos errores, aut acria quaecunque inhaerentia mulctat inflammatio fallacia faepe febris pulfufque phaenomena exhibet; qui celer quidem, fed debilis plerumque, fed cum colica vehementi inflammationem inteftinalem femper denotat, monente MONRO (*b*), item SWIETENIO (*c*), fed & febrem faepe exiguam, faepe nullam comitari obfervavit DE HAEN (*d*), fallaciffimam effe, ut dolore ceffante perimat;

(*a*) Ex act. A. R. S. Comm. Lipf. Vol. XVIII. p. 69.
(*b*) Edinburg. Verfuch. Fortfez. II. p. 414.
(*c*) L. c. T. III. p. 168.
(*d*) L. c. P. XIV. p. 125. VOGEL l. c. p. 164.

dolorem nullum aliquando; pulſum humilem, debilem potius, & ſi recte attendas; obſcure diſſimilem, abdomen tenſum, durum & cum dolore quodam, faciem mutatam, inſoliti quid habentem, oculos quaſi exturgefactos, alias livorem circa labia, maculas inſolitas in naſo; ad digitorum condylos adnotat, maculas latas fuſcas circa articulorum digitos manuum adnotat DENHAM (*a*); inflammationem inteſtinorum frequentius abſque febre & dolore exiguo adnotat STOLLIUS (*b*), viribus etiam integris manentibus, cuius cadaveris ſectionem refert (*c*), extrema plerumque demum lapidis inſtar frigida, quae phaenomena crebra experientia teſtatur. Eadem febris puerperalis plerumque lethalis, aliquando inter puerperas epidemicae (*d*) fata ac phaenomena ſunt, quae ſectione cadaverum inflammationes inteſtinorum, omenti, mox peritonaei (*e*), ſuperficiei externae ovariorum (*f*)

(*a*) Von Kindbettfieber. p. 26.
(*b*) L. c. P. I. p. 266.
(*c*) L. c. P. II. p. 408. 410. 412.
(*d*) SELLE neue Beiträge P. I. p. 70. WHYTE von Kinbettfieber. p. 15. Ipſe vidi aliquoties Bruchſaliae cum ſummis gravidarum terroribus fatiſque familiarem.
(*e*) HULME Kindbettfieber. p. 28. HUNTER v. Comment. T. III. p. 348.
(*f*) Acta Haunienſ. T. I. p. 375.

ex communi experientia exhibet; cum materie puriformi in abdomine effusa, intestina partesque adfectas extus intusque obducente (*a*), quaeque lactis retropulsi specie, cui fata omnia deberentur, pluribus illusit, quae a resolutione principii humorum gelatinosi crustam sic dictam phlogisticam efformantis, quae pessima inflammatoriarum febrium species est, ubique exsudantis effectus est, perinde, ac in pessimis febribus acutis pectoris toties universa pulmonum, pericardii, ipsius cordis superficies simillima materie obducta absque lacteae certe metastasis suspicione videntur; pro febre adeo inflammatoria intestinorum, omenti, recte habet LEAKE (*b*). Inflammationis uteri, ab aucta per partum irritabilitate, facilis (*c*), indeque tenerioribus, iunioribusque (*d*) frequentis, eadem toties diagnosis obscuritas est; a refrigerio post partum repetit SWIETENIUS (*e*), item HULME (*f*) potissimamque caussam, dum praematurius e lecto surgunt,

---

(*a*) In malignis intestina intus membrana mucosa texta visa sunt, qua detracta inflammatio & gangraena latuit. SARCONE l. c. p. II. p. 141--143.

(*b*) Med. Comment. Vol. I. p. 256.

(*c*) V. SWIETEN l. c. T. IV. p. 616.

(*d*) ASTRUC Frauenzimmerkrankh. P. III. p. 240.

(*e*) L. c. T. IV. p. 625.

(*f*) L. c. p. 48.

accusat DENHAM (*a*) ; atque inde potissimum frigori, potibus calidis diluentibus, pannis calidis extus adponendis occurrendum suadet (*b*), aliqua quidem signa a dolore valido supra os pubis tactu maxime aucto (*c*), caussarum antecedentium ab iniuria quacunque utero illata, diaetae vitiis, caussis aliis febrilibus, quae omnes in viscera abdom. puerperarum agunt (*d*) examine, lochiorum suppressione relicta, &c. sat manifesta sunt: sed a febre, quae perpetuo inflammationem comitatur, nulla saepe perspicua indicia sunt, quae parva toties quoque cum pulsu celeri debilique, sola lochiorum suppressione, nervosa perturbatione, lypiria, oculorum mutatione, animi abiectione signa ferentibus.

§. X.

Fallaciae a malignitate.

Quanquam vero in plerisque earum febrium inflammatoriarum malignitas quaedam domine-

(*a*) L. c. p. 17.
(*b*) L. c. p. 33.
(*c*) DENHAM l. c. SMELLIE P. III. p. 443.
(*d*) DENHAM l. c. p. 8. 9. 16.

tur, quae fallai symptomatum lenitate morbi pericula gravissimas viscerum nobiliorum iniurias occultat; materies tamen singularis morbosa vel ab hausto miasmate vel propriis corporis vitiis genita notanda est, quae nervoso generi inimicissima atque intolerabilis, continuo vires nervosas vitalesque deiicit, verasque malignitatis notas, intus ferocientes, extus blandientes, alit, ut faciliorem gangraenam, vi vitali prostrata, quam veram inflammationem excitet. A levioribus initiis, phaenomenis saepe catarrhalibus, orsa, cum spe solutionis per sudores, coryzam, diarrhoeam (*a*); 5to vel 7mo die post primum septennium, aut 4to demum septenario, observante HAENIO (*b*), item SARCONE (*c*), symptomatum vehementia continuo aucta, malignam faciem exerit, virium praeter rationem prostratione, non subita semper, sed 5to, 7mo demum die comparente (*d*), pulsu saepe haud mutato (*e*) imo naturali, tardiore aliquando (*f*), ut intra min. primum 40-45. numerum

(*a*) LUDWIG adverf. P. I. p. 27. 37.
(*b*) L. c. P. XI. p. 123.
(*c*) L. c. P. II. p. 95.
(*d*) LUDWIG l. c. p. 27.
(*e*) HANNES Ep. ad BALDINGER von Friesel. p. 36. TISSOT. Epid. p. 62 BRUNNING. Ep. essend. p. 106.
(*f*) SARCONE l. c. P. II. p. 94. 95.

adſequeretur, ſub maxima debilitate, ſatis bono (*a*) calore minore (*b*); quas Cl. Virorum obſervationes crebra nobis experientia teſtatur. Adeo naturae vires ita obruuntur, ut nec pulſuum velocitas febrilis, nec ſymptomatum vehementia latenti peniciei reſpondeat. Latentis putridi fomitis ea ac veneni (*c*), vis eſt in frangendis viribus (*d*), ſolidorum laxandis vinculis, diſſolvendaque ipſorum, dum in oleum phlogiſtumque agit, liquidorum naturali craſi, quae naturae vim inſtruit (*e*), ut malignitatis copioſas cauſſas eructet, uti a cauſſis diaeteticis non tam, nimio carnium, ac piſcium uſu, ſalitis & ſemiputrefactis carnibus (*f*) fame & inopia (*g*) ſimilibus aliis putridi generandi evolvendique cauſſis; ſed & iis externis corpore hauſtis ab aere impuro,

---

(*a*) DE HAEN l. c. P. III. p. 60.
(*b*) Idem l. c. p. 52.
(*c*) HUXHAM P. II. p. 3.
(*d*) HALLER Elem. T. V. p. 84. T. VI. p. 212.
(*e*) Cor maligna febre defuncti laxum, p. n. magnum invenit PRINGLE p. 332. 432. corda hominum a maligna febre rubicundiſſima. HALLER T. I. p. 112.
(*f*) HOME princ. med. p. 81. SWIETEN T. V. p. 164.
(*g*) Quam cauſſam in Suecia referunt. Vid. ſchwediſches Magazin P. I. p. 385. In Italia *Comment. Lipſ.* Vol. XVI. p. *616.* *Neapoli* ann. 1764. COTUNNIUS de Iſchiade nervoſa p. 67.

putrido miasmate scatente, castrorum, hospitalium, carcerum, paludum, stercorum animalium, hypocaustorum nimis humilium, angustorum cum parvis fenestris (*a*), a copia hominum uno loco angustiore, absque aere renovando morantium similibusque caussis; queis ortarum malignissimarum febrium exempla extant: quamvis & eo in aere impuro specificum quoddam miasma ad producendam earum febrium malignitatem simul requiri videatur, atque experientia satis demonstret, aerem impurum opificum, stercorum animalium, paludum, toties innocuum esse, qui nec agricolas, fimi cumulos ad fenestras servantes, nec eos, qui stabula pecoraque curant, frequentius eo febris genere mulctat, qui magis antisepticus, quam septicus videretur (*b*); febrim imo ipsam putridam coriariis rarissimam adnotat ACKERMANN (*c*), & communis experientia; pariterque circa effluvia animalia aerem inquinantia dubitavit KIRBY (*d*); eas

(*a*) Eae caussae in Suecia accusantur. MURRAY Bibl. p. 630.

(*b*) Conf. alg. d. Bibl. Anh. zum 36. Band. p. 484. it. ALEXANDER Versuch. p. 231. 240.

(*c*) RAMAZINI Abhandl. uermehrt. p. 9.

(*d*) De febre putrida maligna p. 27. 28. subtilissimis quibusdam certisque particulis consistere contagii & malignitatis vim, quibus dissipatis, cessare adnotat QUESNAI act. A. R. - Chirurgorum I. p. 36.

inter cauſſas, haud omnibus quidem aeque perniciofas, potiſſimam crediderim a debilitate nervoſa praediſponentem, cuius cauſſas ſuperiori paragrapho expendimus, ut in cerebro nerviſque cauſſam malignitatis, toties cum inflammatione iunctae, proximam ponit LIEUTAUD aliique complures. Iis rationibus ab adfectibus animi repetit BAGLIVIUS (*a*), a moerore diuturno HUXHAM (*b*), alii (*c*) ab adfectibus animi bellorum tempore, terroribus metu (*d*): amoris effectus folis cogitationum etiam & oblectationum ſpectris exponit TISSOT (*e*), item GAUBIUS (*f*); queis ingens ſyſtematis nervoſi debilitas inducitur, qua labefactata vis vitalis animaliſque, diſſolutis iam, in delicato maxime nativo ſtamine, aut molliore vitae genere adquiſito, ſolidorum vinculis, humorum craſi, phlogiſto nimio evoluto accumulatoque flagrante, nec cauſſis putridis, inflammationes clandeſtinas generantibus, reſiſtere ſatis, nec proba eas co-

---

(*a*) Pag. 704.
(*b*) P. I. p. 166.
(*c*) ROEDERER de morbo mucoſo p. 36. ſchwediſchef. Magazin. P. I. p. 374.
(*d*) Nov. act. Phyſic. Med. T. III. adp. 148. allg. d. Bibl. XXXII. p. 108. LUDWIG. adverſ. P. I. p. 32.
(*e*) De febre billioſa p. 219.
(*f*) Pathol. §. 562.

ctione ſubigere, aut eliminare poſſit: eadem ratione febris maligna aut diſtinctum febris genus admittit, dum & continuas & intermittentes (a), & quaſcunque alias comitari, & benignas toties iiſdem cauſſis in malignas vertere poteſt.

§. XI.

Medendi momenta generalia.

Verum occulto eorum morborum genere curationis difficultas neceſſario obverſatur. Venae ſectionis, quae ſecura in omni inflammatione anchora, ſuae hic certe regulae cautelaeque ſunt: in pleuritidis occultae (b), aut tuberculi inflammati indiciis, vomicam phthiſinque minantibus, ſummum in parcis ac repetitis venae ſectionibus auxilium ponitur, maxime ſanguine cruſtoſo exiſtente, queis & diſcuti inflammatio, & imminentia ſumma mala praecaveri poſſunt, aut & quibuſcunque pulmonum, ſanguine abundantium, ſignis prodeſt; catarrhus fortior, maxime validiore frigore ortus, quod diatheſin phlogiſticam facile infert, ſummam in venae ſectione opem

---

(a) Sub febre 3na, 4na latuit toties inflammatio hepatis, omenti, abſque aliis ſignis. LIEUTAUD Hiſt. Anat. Med. I. Obſerv. 8. 57.

(b) STOLL l. c. P. I. p. 118. SIMS Ep. Krankh. p. 78.

(a) universamque methodum antiphlogisticam (b) flagitat; secus catarrhus simplex, aut in debiliore corporis constitutione, in qua quaevis iactura sanguinis coctionis vires, ab actione nervorum pendentes, debilitat (c): Methodus revulsoria quaevis indicatur, qua acre in exteriores minusque nobiles partes derivatur, vesicatoria, fonticuli, hirudines, lenia continuata catarctica, nitr. aut crem. tartari solutiones aquosae cum minimis opii dosibus, queis & tussis stimuli, & flagrantes in parte adfecta dolores, qui eo maiorem liquidi adfluxum determinant, mitescunt. In catarrhis a materie acri tenuique, quae clandestinas pulmonum inflammationes toties fovet sustentatque, opium adprobat TRALLES (d) severus alias opii iudex; secus in lenta ac copiosa pituita peccante. In catarrhis pertinacioribus, eo occulte inflammationis metu praecipue suspectis, pulverem Doweri ex tartari vitr. p. IX. opii & Ipecac. p. I., compositum laudat GARDINER (e). In pleuritide occulta a morbillis, sive tuberculis pulmonum, a venae sectione, solventibus ex melle, spermat. cet.

(a) PRINGLE p. 178. TISSOT Anleitung p. 146.
(b) SELLE Pyretolog. p. 140.
(c) STOLL rat. med. P. II. p. 5.
(d) De usu opii P. IV. p. 9.
(e) Goett. Anz. anno 86. p. 63.

nitr., sal. ammoniaco, setaceo ad partem adfectam, medelam instruit THOMSON (*a*).

Verum inflammationis malignae, putridae cum dissolutione humorum, quae varia febrium praesertim dictarum biliosarum, & exanthematicarum genera comitatur, alia diversaque indoles, maiores inprimis venae sectionis cautelas habet; si plethoricos, ut vocant, quibus quidem rarior, nisi ex contagio haec febris inflammatoria est (*b*), exceperis; aut quibus sanguis crusta illa, quam phlogisticam dicunt, quaeque etiam resolutione gelatinae animalis consistit, scatere visus, ad avertendas eius in telas cellulosas effusiones, infarctusque viscerum toties lethales, venae sectio necessaria visa fuerit; cuius potiores in pleuritide peripneumonia maligna, maligno alio cuiuscunque febris genere noxae sunt, communi fere Cl. Virorum observatione ac suffragio, in deprimendis nervosis viribus, inducta maiore debilitate, probae coctioni deinceps probisque crisibus haud sufficiente; vires maxime depressas in peripneumonia maligna epidemica, inde in febrem nervosam versa adnotat BROOKES (*c*); delirium biliosum natum vidit

(*a*) Med. Rathschläge cas. XVI.
(*b*) TISSOT l. c. p. 328.
(*c*) Med. Handb. p. 456.

STOLLIUS (*a*); varios alios noxios effectus in aucta sanguinis dissolutione, laxatis vasorum viribus turbatisque crisibus alii Celeb. Viri observarunt. Potiora hic in roborantibus, antisepticis, C. Pno, acidis mineralibus, camphora, serpentaria, arnica & eiusmodi cum diaeta, regimine frigido sub aere liberiore remedia sunt, praemissis inprimis cautis emeticis catharcticisque, quae primarum viarum vitia, quibus plerumque putredinis & malignitatis scaturigo alitur, expurgent; adiunctis vesicatoriis, quae tum vires vasorumque actionem languentem animent, tum metastases, in quas prona ea febrium genera sunt, in partes exteriores derivent. Cui indicationi Nitri, aliorumque salium mediorum largae doses satisfaciant, quae inter antiseptica infimum locum habent, in dissolvendam humorum crasin confluunt, bilem non emendant in experimentis PRINGLIANIS, sed eius putredinem magis augent; haud aeque adparet; nisi cum C. Pno, camphora combinatae fuerint. Nitrum in febribus biliosis inutile reiicit TISSOT (*b*), in aliis malignis ELLERUS (*c*), loco eius contraierva utitur, it. ROEDERER (*d*), nocivum

(*a*) L. c. p. 11. 12.
(*b*) De feb. bil. p. 159.
(*c*) De cognos. & curand. morb. p. 126.
(*d*) De morbo mucoso p. 60.

vidit BRUNNING (*a*), WHYTE (*b*), BEZOLD (*c*), CHARMER (*d*), ubi ſanguis aquoſus ſolutus, ubi magna debilitas, nocivum adnotat; continuato uſu vim nervorum indeque pendentem partium ſolidarum actionem debilitari, debilibus adeo noxium declarat LOESEKE (*e*). Soluti inde ſanguinis manifeſta experimenta ſunt MALPIGHII (*f*), HALLERI (*g*). Similes effectus, alii Celeberrimi Practici adnotant.

LET-

(*a*) Conſtit. epid. Eſſend. p. 58.
(*b*) Kindbettfieber. p. 177.
(*c*) Von Faulfieber. p. 40.
(*d*) Vid. MURRAY pr. bibl. II. p. 491.
(*e*) Mat. Med.
(*f*) De Polipis.
(*g*) Elem. II. p. 74.

LETTRE

DE MONSIEUR

VINCENT MALACARNE

Chirurgien Major, Professeur Royal Pensionné de S. M. le Roi de Sardaigne, Membre de la Société Italienne de Verone &c.

AU PROFESSEUR

FRANK

A PAVIE

SUR

L' ETAT DES CRETINS.

De Turin au mois de Décembre 1788. (*)

LES *Crétins*, dont je vais avoir l' honneur de vous entretenir, Monsieur, ont déjà excité votre attention, ce que je tiens de Mr.

(*) Epistolam, quam mecum communicavit Vir hic Clarissimus & a longo satis tempore de re Chi-

MARTELLI, cet aimable jeune homme de Lucques, qui a été votre éléve à Pavie. Il m' aſſure

---

rurgica optime meritus, *Delectui Opuſculorum* inſerere volui, licet nec Patriae meae, quod horum titulus indicat, productum ſiſtat, nec latino ſermone conſcripta ſit, aut *italico*, cuius maior his in terris uſus eſt. Sed excuſabunt me facillime LECTORES quicunque, ſi & *Italis* lucubrationibus utilitate conſpicuis aliquem hic locum lubens ſubinde concedam, quae, ſeparatis commiſſae foliis, aut non a tam multis legerentur, aut, ſorte fere propria, poſt paucos annos ſibi comparari a nemine amplius poſſent. Dein nemo fere noſtros inter Medicos exiſtit, qui *Gallicum* idioma non bene ſaltem intelligat; neque praeſentis Epiſtolae energiae verſione eiuſdem in latinum aliquid detrahere, volui. Addendum his eſt: quod Auctor huius Epiſtolae eximius, liberalitate ſummis encomiis digna, *Muſaeo Pathologico*, quod in *Ticinenſi* Academia non ita pridem erectum fuit, & multis iamiam obiectis nitet morborum cauſſas non parum illuſtrantibus, *duo Crania* ſingularis certe figurae & conſtitutionis, dono communicaverit, quae partem aegrotorum, nobiliſſimam in aliis, in his certe ſubiectis, quorum morbum MALACARNIUS tam feliciter inquiſivit, infimam conſtituerant. A communi fabrica haec ambo crania, ſibi fere in omnibus ſimilia, quamplurimum abludunt. Delineationem eorundem, quam huic Operi inſerere ob plures rationes non potui, ſuo tempore adcuratam ſum traditurus, quouſque forte plura ſuper hunc morbum innoteſcent, quae tenebris adhuc premuntur, licet enim de *Cretinorum* (uti vocant) ſtatu miſerrimo in Praelectionibus publicis aliqua monere ſoleam, ea tamen nihil auctoritatis habere agno-

que vous avez pouſſé aſſez loin vos obſervations ſur cette branche infortunée de l' eſpece humaine, animé par le deſir de la ſoulager dans ſes maux : d' en corriger la conſtitution phyſique, puiſque cela ne paraît pas tout-à-fait impoſſible, & de rendre quantité d' individus à la Patrie qui maintenant lui ſont à charge. J' ai eu le même but, au moment que je me ſuis introduit dans la même carriere, & je vous marquerai les progrès que j' y ai fait, ſi à la faveur d' un objet d' autant d' importance, & eu égard à la néceſſité où j ai été de me ſervir d' un langage qui m' eſt étranger, pour me rendre intelligible à ceux, auxquels ma voix a osé particulièrement s' adreſſer, ſi, dis-je, vous aurez la bonté de me pardonner les défauts d' expreſſion dans leſquels j' ai donné en traçant ce mémoire.

Il n' eſt, Monſieur, que la recherche des moyens qui pourroient ſervir

1.° A nous faire connaître les cauſes prochaines phyſiques de la quantité trop conſidé-

ſco, donec rationibus experientiam nubere mihi datum ſit, quod in mea quidem ſituatione & ab Alpibus, *Cretinorum* habitatibus diſtantia, vix erit exſpectandum.

rable de *Crétins* qui peuplent encore la Vallée d'Aoufte, le Valais, & plufieurs endroits de notre pays, autant au milieu des montagnes à une certaine hauteur, qu'au milieu de la plaine du Piémont, où pourtant ils commencent de n'être plus fi communs.

2.° A nous aider à trouver dans le corps même de plufieurs de ceux-là, les effets de ces caufes, une fois connues.

3.° A nous conduire à déterminer la nature de ces effets, afin de voir fi par la fuite du tems il ne s'eft pas produit un cercle vicieux; de façon que ces effets mêmes ne foient pas devenus à leur tour la caufe de la propagation, & de la perpétuation (s'il eft permis de fe fervir de ce mot) du fléau que nos provinces endurent depuis très-long-tems.

4.° A nous encourager à tâcher de prévenir, autant qu'il fera poffible, les effets en queftion, puifque leur impreffion nouvelle eft toujours plus profonde : ou à les corriger de façon que la Patrie ne foit plus furchargée du poids de l'entretien de tant de miférables, & des foins qu'ils exigent en arrachant aux campagnes, auxquelles ils font tout-à-fait inutiles, des laboureurs qui les défricheroient, & en tireroient des fruits très-abondans.

Nous apprendrons ainfi au Public, Monfieur,

par quels liens toujours plus étroits & sensibles, l' étude de l' Histoire naturelle, & de l' Anatomie (que plusieurs ont l' indiscrétion de placer dans la classe des occupations de pure curiosité, & de simple agrément) tienne à l' utilité générale, à la santé & au bonheur des hommes.

Le profond contemplateur de la Nature Mr. BONNET de Géneve, en voyant les différences que, d' aprés mes observations, je lui avais communiquées, entre les parties extérieures, & internes de la tête des imbécilles, & celles des hommes qui jouissent d' une bonne constitution morale & physique, m' encouragea à plusieurs reprises de ne manquer aucune occasion de disséquer ces individus ; & me somma de me rendre dans le Valais, & dans la Vallée d' Aouste pour le faire sur des *Crétins*, puisque ces malheureux en peuplent plusieurs paroisses. Ma situation ne me permettant pas d' entreprendre ce voyage pour fixer là pour un tems considérable mon séjour, il revint à la charge par une de ses Lettres datée de Genthod le 15. Novembre 1787., dont voici les mots. „ Vos curieu„ ses recherches sur les cerveaux m' intéressent „ toujours. Je désirerois vivement que vous „ puissiez disséquer la tête de ces *Crétins* du „ Valais qui ont tant excité l' attention de Mr.

„ de HALLER, & de SAUSSURE. Je vous y „ invitois dans une de mes notes ſur la con„ templation de la Nature, & Mr. de SAUSSU„ RE l' a citée dans ſon deuxieme Volume des „ Alpes. Il eſt des Gens qui ne peuvent croire „ ce que j' ai rapporté d' après vous ſur le „ cerveau des fous, & des imbécilles. Des re„ cherches Anatomiques ſur les *Crétins* les for„ ceroient peut-être à croire. N' y auroit-il „ dans le Valais & lieux voiſins aucun Anato„ miſte qui voulût, ſur votre invitation, ſe „ livrer à cet objet intéreſſant? Mettez la choſe „ en train, ſi vous le pouvez ".

Mr. BONNET ne ſe contenta pas même de m' engager, en me faiſant voir les doutes qu' on éleve ſur la vérité de mes obſervations; mais il fit parvenir ſes deſirs au pied du Trône, & le Sage Miniſtre qui au zéle le plus généreux & éclairé, avec lequel il s' acquitte ſi heureuſement du ſoin des affaires étrangeres, joint les ſoins les plus marqués pour ce qui dans l' intérieur des états concerne le bonheur des ſujets de notre Auguſte Monarque, a bien daigné de m' en inſtruire, & me fit l' honneur de me charger de dreſſer un mémoire pour mettre MESSIEURS les Chirurgiens de la Vallée d'Aouſte au fait de ce qu' on doit examiner dans les *Crétins*, & du moyen de me faire parvenir avec

plus de fûreté les piéces anatomiques qui peuvent éclaircir mes doutes, convalider mes conjectures, & nous frayer une route moins incertaine pour foulager cette portion de nos Freres des maux qui les oppriment.

Voilà ce qui il fallait vous expofer, Monfieur, avant que de mettre fous vos yeux très-éclairés & le mémoire même, & quelque autre piéce y ayant rélation, que je vais foumettre à votre jugement.

MÉMOIRE.

Adreffé à MESSIEURS les Chirurgiens de la Vallée d'Aoufte, & des Provinces voifines, pour en avoir des notions anatomiques exactes des parties extérieures & internes du cou, & de la tête des *Crétins*, par le Miniftre.

MESSIEURS.

Le bien de quantité d' Individus de la Vallée d' Aoufte exige qu' on faffe des recherches férieufes, & fuivies fur les organes effentiels, dont eft composé le cou & la tête de plufieurs de ceux qu' on y appelle *Crétins*, & qui font plongés dans le dégré le plus pitoyable de la ftupidité, & de l' imbécillité.

Le Chirurgien MALACARNE invité à ces recherches par son propre goût, & par les sollicitations autant publiques (elles sont imprimées dans les ouvrages très-répandus, & très-utiles des Célebres Philosophes & Naturalistes BONNET & SAUSSURE) que particulieres, dans les conversations qu' il a eu avec eux, & dans les nouvelles lettres, qui lui ont été adressées par le premier : instruit des connaissances anatomiques de MESSIEURS les Chirurgiens de la Cité, & de l' hôtel des chevaliers de cette Ville; ose les prier de joindre leurs soins & leurs observations aux Siennes sur un objet bien digne de l' attention de tous ceux qui s' occupent du bien de l' humanité, puisqu' il est aussi intéressant pour la santé, que pour l' histoire naturelle de l' homme.

Il a déjà tiré tout le parti qui lui a été possible de trois imbécilles dont les cadavres étant en son pouvoir, il en a pu faire la dissection, en développant avec soin toutes les parties qui sont depuis les clavicules en haut; & plus particuliérement encore il en a examiné les têtes en dehors & en dedans, au moyen de quoi il a observé constamment.

1.º Le crâne en général moins élevé, & moins applati sur les côtés.

2.º Les trous du Valsalva aux angles Lam:

ïdoïdiens beaucoup plus grands ; & au contraire

3.° Les trous déchirés à la base du crâne, entre l' apophyse basilaire de l' occipital, & les rochers des os temporaux, presque oblitterés, de façon qu' à peine peuvent-elles passer par les ouvertures de ces mêmes trous, les paires des nerfs sympatiques moyens, des Glosso-pharyngiens, & de l' Accessoire du WILLIS : ce qui rend

4.° Les sinus latéraux de la Dure-mere beaucoup plus amples dans toute leur extension, &

5.° La tente du cervelet beaucoup trop épaisse : conséquemment

6.° Le cervelet lui-même logé dans une cavité plus étroite qu' il ne lui faut, ne pouvant pas se développer, ni acquérir la grosseur, & la largeur ordinaire, doit porter sur les fonctions animales les atteintes, & sur certains organes extérieurs les dérangemens qu' on n' a que trop lieu d' observer chez ces malheureux.

7.° Il a remarqué aussi chez les trois imbécilles, que l' apophyse basilaire de l' occipital au lieu de se porter en avant avec une douce obliquité en haut (depuis les apophyses condiloïdiennes du même os, duquel le grand trou est situé naturellement horizontalement), fait un plan presque de niveau avec les apophyses cli-

noïdiennes du ſphénoïde ; & le grand trou s' ouvre, non comme à l' ordinaire de haut en bas, mais d' en arriere en avant, ce qui fait

8.° Que la maſſe du cervelet infiniment plus gênée, reſte toujours moindre à proportion des entraves opposées à ſon accroiſſement, par la mauvaiſe conformation des os.

9.° Le nombre des feuillets lamineux, & des lames qui en compoſent la plus grande partie, n' y eſt pas égal comme aux autres hommes. Et c' eſt ce qu' on prie avec ardeur MESSIEURS les Chirurgiens de vouloir bien vérifier ; puiſque de ce fait bien démontré ne peut que réſulter nombre de connaiſſances très-utiles pour l' explication de pluſieurs phénomenes qui intéreſſent en dernier reſſort l' économie animale, & l' explication des facultés attachées aux organes contenus dans les trois cavités principales de notre corps.

10. Enfin la moëlle allongée doit ſe courber en gagnant le canal de l' épine par le grand trou occipital d' une façon très-préjudiciable aux nerfs qui en ſortent ; & les fonctions de ces nerfs, & des dépendances de toute la moëlle épiniere ſe déranger.

On s' eſt arrêté à ces details anatomiques parce qu' on deſirerait de mettre MESSIEURS les Chirurgiens de la Vallée au fait de ce

qu' ils peuvent rencontrer dans le cadavre de ceux dont ils feront la diffection, & des parties fur lesquelles ils doivent répéter leur examen. On ferait charmé de voir les obfervations de cette nature répétées par eux, & autant par leur recherche dans les cadavres, que par l' infpection des crânes des imbécilles tirés des cimitiéres des Paroiffes où ils fe trouvent depuis long-tems en plus grand nombre : car il paraît que c' eft l' unique moyen de s' affûrer fi vraiment l' imbécillité de la plus grande quantité de ces individus dépend des défauts de ftructure énoncés ci-deffus, ou fi pour le moins elle a quelque rélation avec les mêmes.

Cela étant, on pourrait tirer des corollaires très-lumineux pour établir des méthodes préfervatives, & peut-être curatives de cette efpece d' imperfection dont on n' a jufqu' à préfent que le chagrin de déplorer les malheureufes conféquences.

Ne pourrait-on pas découvrir dans le gonflement, & le durciffement des glandes, ou dans des concrêtions fthéatomateufes, telles que mes imbécilles ont préfenté, la caufe de la détermination du fang, qui aurait dû couler par les jugulaires internes, vers les trous du Valfalva ? Et la dilatation extraordinaire de ceux-ci ne pourrait-elle pas donner de la facilité aux trous dé-

chirés pour ſe rétrecir davantage ; & encore plus vîte ?

D' un autre côté la dilatation même des trous du Valſalva ne pourrait-elle pas donner entrée par les ſuſdits à une quantité trop grande de ſang dans les ſinus latéraux , l' ampleur extraordinaire deſquels , & l' épaiſſeur & la réſiſtance preternaturelle de la tente , qui en dépendent , doivent gêner le cervelet dans ſon accroiſſement & dans le développement de ſes parties les plus eſſentielles ?

La mauvaiſe direction , & la convexité monſtrueuſe de l' apophyſe baſilaire , de même que la ſituation du trou occipital , qui chez nos imbécilles eſt ſi différente de la naturelle , le tout ſi opposé au développement , & au libre exercice des fonctions du cervelet & de la moëlle allongée , ne pourroient-elles pas dépendre de quelque tumeur , ou autre vice local , c' eſt à-dire affecté aux organes qui ſe trouvent dans la partie ſupérieure-interne du cou des *Crétins* ?

L' exiſtence de ces vices une fois connue ; ne préſenterait-elle pas au Médecin des indications préciſes pour en empêcher la formation , ou pour en diminuer les effets , juſqu' à ce que tout le mal puiſſe être déraciné en y' employant les moyens , & la conſtance néceſſaire ?

Il eſt certain que quand on ſera ſûr de la

constante capacité extraordinaire des trous du Valsalva, ou de l'existence de quelque autre vice par lequel les jugulaires internes soient gênées, on aura deux indications à suivre pour dériver de la base de la cavité du crâne des enfans issus de *Crétins* une portion des humeurs qui gênent le cervelet, de même que pour dissiper les congestions dont on aura soin de bien examiner & de bien constater la nature.

On pourra aussi prescrire quelque remede aux peres & aux nourrices, & prendre les arrangemens nécessaires pour en croiser les races autant qu'on le jugera à propos, & pour dépaïser ces innocentes victimes d'un climat contraire à la santé des hommes qui l'habitent, jusqu'à ce que leurs organes plus fermes ne cédent plus aux impressions fatales des causes générales annexées à telle région, quelles sont l'air, les eaux, & les fruits de tel misérable terrein, de même qu'au commerce avec des autres *Crétins*, d'autant plus contagieux qu'il est plus constant & qu'il a plus d'énergie. Car c'est un fait incontestable que les tendres enfans, même les jeunes gens se moulent, pour ainsi dire, sur les individus de ses semblables qui les environnent: & que leur dégradation est toujours proportionnée à la nécessité dans laquelle ils sont de s'entretenir continuellement

obſcur, ſachant qu' ils ſont à même de nous les fournir très-exactes : & on s' empreſſera d' en tirer les conſéquences les plus utiles pour cette partié de la ſociété, & de nos concitoyens, juſqu' à cette heure trop négligée.

Mais pour venir plus aiſément à bout d' un tel projet, quelqu' il ſoit le déſordre qu' on puiſſe rencontrer au cou, & dans le crâne des *Crétins* de la Vallée, il eſt de la derniere importance pour le Chirurgien MALACARNE, qu' il puiſſe contempler à ſon aiſe, de ſoi même, ces parties dans pluſieurs individus, pour les mieux comparer avec les ordinaires, naturelles, & avec celles qu' il a obſervées dans les trois imbécilles qu' il a diſséqués.

Il eſt donc à ſouhaiter qu' à l' occaſion de la mort de quelque *Crétin* bien décidé, MESSIEURS les Chirurgiens aient la bonté d' en ſéparer le cou, & la tête du thorax le plus nettement poſſible ; qu' ils les raſent, & nettoyent ; & qu' ils emportent exactement tout ce qui eſt au-deſſus des clavicules, couvert naturellement de ſes intégumens. On en fera ſortir tout le ſang ; on lavera toute la piéce, les yeux, & les oreilles au-dedans, & au-déhors, avec du faible eſprit de vin, duquel par la bouche & par les narines on en fera couler beaucoup de façon qu' il ſorte par le bout coupé

de l' œsophage en telle quantité qu' on puisse juger avoir rendu ces cavités bien propres.

Aprés cette lotion avec du coton trempé dans la même liqueur, & exprimé avec force afin qu' il n' y reste plus aucune humidité, on remplira avec force toutes trois ces ouvertures, & les bouts ouverts de la trachée artère, & de l' œsophage; on essuyera tout avec la derniere exactitude dans du linge bien sec, & on mettra la piéce dans une boëte toute prête, dont les dimensions doivent de chaque côté également qu' à la base, & au couvercle, surpasser dix huit pouces. L' épaisseur de ce cube vuide ne doit pas être moindre d' un pouce, quatre lignes, & le couvercle doit entrer dans l' épaisseur des planches en coulisse, comme on pratique aux caisses qu' on remplit de bouteilles de liqueurs pour les transporter.

Ensuite il faudra penser à garantir de la corruption les parties qu' on destine au transport, & je ne sai rien de plus commun, & de moins dispendieux pour cet effet, que les cendres seches, pasśées au tamis, puisqu' elles défendent mieux qu' aucune autre chose semblable de l' impression de l' air les cadavres qu' on y ensevelit.

On en aura donc une quantité suffisante bien tamisée pour en mettre quatre doigts au

fond

fond de la boëte : en environner toute la piéce qu' on y introduira ensuite, & la couvrir avec exactitude de façon que le couvercle aie quelque peine à couler par les engrenures des planches, où il doit être contenu au moyen de plusieurs chevilles, ou bien de la fichelle, qui servira peut-être mieux parce que les planches ne risqueront pas tant de se fêler, ou de se casser.

La boëte ainsi garrottée sera mise dans un endroit bien sec, loin du soleil, & du feu, pour saisir la premiere occasion de l' envoyer à Turin à l' adresse qu' on leur a indiquée.

Les observations qu' on enverra, jointes à celles que trois ou quatre de ces piéces fourniront au MALACARNE, mettront tous à même de s' employer avec succés à la découverte des méthodes les plus sûres de vainere cette hideuse infirmité, par laquelle la plus parfaite de toutes les créatures d' ici-bas est, pour ainsí dire, abaissée au niveau de la brute la plus stupide, & une portion considérable de nos compatriotes rayée du nombre des individus utiles, & à charge au reste de la Population.

Du moins nos vœux ont ce but : & au cas que la faiblesse de nos lumieres ne parvienne point à éclaircir ces moyens, on n' aura pas moins de droit à la reconnaissance dûe aux çitoyens qui se font un devoir d' employer tous

leurs talens au bien de ses confrères. On ignore quels sont les décrets de la Providence: mais si on ne sait pas si elle a fixé de couronner nos travaux, ne nous est-il pas également inconnu si elle ne les fera point servir au moins comme autant d'aiguillons capables d'exciter dans quelqu'un autre cette ardeur qui le portera à la glorieuse découverte des moyens de délivrer la Patrie de ce fléau qui en désole quelque contrée?

Après tout, si la Médecine rèfusera de graver notre nom parmi ceux qui ont eu le bonheur de bien mériter de la même faculté par l' heureuse issue de cette entreprise, l' histoire naturelle (n' en doutons pas) l' inscrira au rôle de ceux qui ont donné des notions exactes du Physique des *Crétins*, la dissèction raisonnée desquels tout-à-fait négligée par nos ancêtres, dans la suite réussira de quelque utilité pour en corriger les défauts d' organisation, & pour rendre cette partie de nos concitoyens à la Patrie.

Puissent donc nos efforts, quoique peu utiles pour le coup, exciter chez nos confréres le même feu qui nous anime, & nous procurer la vraie satisfaction de voir briller parmi nous celui, auquel la Société soit redevable d' un tel bienfait.

Turin ce XVIII. Novembre 1787.

GOTTLIEB HIERON. CHRISTIAN.

P E S C H E L

FREIBERGENSIS

DISSERTATIO

DE

CURA CONVALESCENTIUM EX FEBRIBUS ACUTIS

Lipsiae 1775.

§. I.

Instituti ratio.

QUae communis multorum hominum sors esse solet, ut vix ex ingenti aliquo periculo erepti, protinus viam, quae ad prius malum ducat, iterum sequantur; & in id, quod modo effugerant, malum relabantur; ea aegris quasi propria esse videtur. Plerique enim eorum, quam diu a doloris aliorumque malorum vehementia torquentur, ad omnia, quae Medicus praecipit,

facienda ſunt parati ; morbo vero paullulum imminuto , ſe ſtatim in vado collocatos eſſe exiſtimantes , Medicum derident , & quicquid ipſe ad recuperandas vires iis commendat , negligunt , quid quod non raro male interpretantur , Medicumque ex cupiditate morbum protrahendi id agere , opinantur . Inde ſaepius fit , ut vel in morbum , quem vix evaſerant , recurrant , vel alium aeque malum imo ut plurimum periculoſiorem ſibi conſciſcant . Non autem aegri ſolum , ſed & Medicorum nonnulli aut ex nimia indulgentia aegris omnia concedentes , aut ex quadam animi levitate , eorum quae aegris a morbo iam liberatis accidere poſſint , incurii in culpa horum malorum habendi ſunt . Neque tamen exiſtimandum eſt , a quibuſdam , qui medicinam exercent ; tantummodo negligi hanc medicinae partem , quin potius , confirmante GORTERO (*a*) eadem in multis Auctoribus non late ſatis & dilucide explicatur . Si igitur ex eadem illa decerperemus & in hoc libello exponeremus , quae ad curam convaleſcentium ex febribus acutis pertinerent , nos laborem non prorſus inutilem ſuſcepturos eſſe , arbitrati ſumus . Prius vero quam de horum cura dicere poſſimus , paucis , quoſnam ſub iis intelligamus , explicandum

(*a*) Comp. Med. Tit. 53. XV.

eſt. Febres acutas nominari eas febres continuas tam continentes quam remittentes, quae intra breve tempus cum periculo decurrant, notum eſt. Cum autem in variis Diſſertationis noſtrae locis de diverſarum febrium convaleſcentibus ſermo ſit, monendum eſſe duximus, nos febres acutas continuas praeeuntibus potiſſimum BOERHAAVIO & TISSOTO (*a*), diſtinguere in 1. inflammatorias, ſive iſta inflammatio per totum corpus regnet, quam Καῦσον φλογιςικὴν appellant, ſive partem aliquam internam v. c. pulmones ſim. occupet, variis a varietate affectarum partium nominibus inſignita, 2. putridas, ſive ſint merae inteſtinales, BAGLIVIO meſentericae dictae, hiſque multum ſimiles bilioſae, ſive verae putridae aliis malignae dictae, 3. mixtas ex inflammatoriis & putridis, cuiuſmodi ſunt inflammationes bilioſae. Eos itaque, qui poſt ſuperatam aliquam ex iam dictis febribus, integras vires nondum receperunt, appellamus convaleſcentes (*b*) eorumque curam nobis explicandam ſumimus.

(*a*) De Febr. bilioſis, in ei. Opuſc. ab. E. G. BALDINGERO editis T. I. p. 14.

(*b*) Ex hac convaleſcentium definitione patet, de iis, quos febris lenta ex vomica viſceris antea inflammati, nata detinet, hic exponi non poſſe. Simul facile intelligitur, iis, qui vel ex febribus

§. II.

Convalescentium divisio. Signa reliquiarum prioris morbi.

His de instituti ratione provisis, ad ipsam tractationem accedimus. Uti non pauci, nullam prorsus convalescentium curam habendo, sic multi alii in eo errant, quod communem proponant convalescentium curam, singulosque eorum unum eundemque in modum tractent, cum tamen multum intersit scire, num convalescens a priori morbo recte repurgatus sit, nec ne? Quodnam febris genus praecesserit, qualem se post febrem gesserit, sim. Saepe enim id, quod uni convalescentium generi prodest, alteri veneno est. Quam pro diversitate convalescentium

---

remittentium faciem inter initia prae se ferentibus, proprie autem ad intermittentium genus spectantibus, vel qui ex acutis interdum quidem non tamen semper cum febre acuta coniunctis morbis, v. c. cholera, violenta haemorrhagia, apoplexia sim vel qui ex febribus symptomaticis, quae laesionibus externarum partium, aut puerperio, aut interdum morbis chronicis, v. c. scabiei, hydropi, tabi superveniunt, convaluerunt, in nostro libello locum dari non posse. Cura enim eorum plura desiderat, quam quae angusti, quibus hanc Dissertationem circumscribimus, limites capere possint.

diverſam curationem ut recte exponere poſſimus, duo praecipue conſtituemus convaleſcentium genera, quorum unum eos, in quibus reliquiae praegreſſi morbi ſuperſint, alterum eos complectetur, qui ab iſtis reliquiis immunes ſint. De illis primum. Ante omnia videndum eſt de ſignis, quae doceant, reliquias morboſae materiae ex praegreſſa febre in convaleſcentis corpore ſuperſtites eſſe. Cum vero illa ſaepe difficulter a ſignis debilitatis diſcernantur, & in cognitione eorum ſumma fere curationis poſita ſit: in iis colligendis paullo diligentiores erimus, & ea tantum proferemus, quae communi bonorum Auctorum experientia tanquam certa & indubitata reliquiarum ſigna ſunt comprobata. Sunt autem haec:

Si febris abſque ulla critica evacuatione evanuit. Ad has evacuationes referimus haemorrhagias, ſputa, ſudores, vomitus, alvi deiectiones, urinas criticas, abſceſſus in parte quadam externa natos, & quae paullo rarior criſis eſſe ſolet, icterum (*a*), quarum ſaepe una, ſaepius vero

(*a*) Variolas & morbillos, quae criſibus utique annumeranda ſunt, ideo omittimus, quoniam convaleſcentium utriuſque huius morbi curam tanquam nimis prolixam ex Diſſertatione noſtra excludimus.

plures simul febrim iudicant. Hanc ab HIPPOCRATE (*a*) iam propositam observationem ex recentioribus plures probae fidei Auctores multiplici experientia docti (*b*) confirmant. Verum est, observatas esse a Clarissimis Viris febres continuas, quae sine critica evacuatione per solam lysin seu resolutionem benignam tuto & feliciter finitae sint. Quod quidem lubenter concedimus, sed nostra sententia inde non infirmatur. Febres enim istae ad acutas, de quibus in hoc libello tantum sermo est, referri non potuerunt, quoniam periculo tanquam altera a nobis posita acutarum nota caruerunt, & cum levibus symptomatis coniunctae unum aut aliquot dies duraverunt, id quod ex descriptione febribus his ab iisdem Auctoribus addita (*c*), manifestum est.

(*a*) Praen. aph. 147. de Iudic. aph. 57.

(*b*) Ex his tantum nominare liceat LOMMIUM Obs. Med. Ienae 1719. p. 28. RIVERIUM Op. omn. fol. Frf. ad Moen. *1669*. p. *146*. FIENE SEMIOT. P. I. Sect. *6*. c. 4. Fr. HOFFMANN Op. omn. Genevae 1740. fol. T. VI. p. *176*. DE HAEN. Meth. Med. P. VIII. p. *62*.

(*c*) SYDENHAM Op. univ. Lugd. Bat. 1754. p. 2*26*. BOERHAAVE in Prael. in proprias Inst. ab HALLERO editis §. 920. TISSOT l. c. p. 95. FORDYCE *Untersuchung der Fieber a. d. Engl. L.* 1774. p. 98. 102. Huius generis febres sunt ephemera, synochus simplex aliquot dierum a cruditatibus ventris aut aliis caussis ortus, item

§. III.

Continuatio .

Porro metuendae sunt reliquiae :

Si febris cum critica quidem evacuatione finita est , ea autem evacuatio fuit imperfecta . Id cognoscitur :

Si nulla vel imperfecta praegressa est coctio . Cuius etsi plura sint signa , ad quae Medicus febris curam habens , respicere debeat : tamen urinam tanquam reliquis certius signum tantum inter ea referimus signa , ex quibus post finem febris de perfecta vel imperfecta coctione iudicari possit , ita tamen , ut ex reliquis notis , v. c. tempore , ubi coctio fit , eas inspergamus , sine quibus noster de urina coctionis teste sermo recte intelligi nequeat imperfectam itaque fuisse coctionem , adeoque certo timendas esse reliquias , cognoscimus :

---

sic dictae catarrhales benignae , quae omnes , nisi quacunque de caussa in alium morbum mutentur , per se ad acutas adeoque ad nos non pertinent . In veris autem acutis iidem iam citati Auctores crisis defectum reliquias significare disertis verbis affirmant v. c. SYD. p. 51. 62. 65. BOERHAAVE §. 931. 953. TISSOT p. 22. 23. 33. 37. 68. FORDYCE p. 92. 96. 142. 143.

Si urina nihil prorſus ſedimenti depoſuit (*a*); *ſive ea perpetuo tenuis fuerit, ſive craſſa quidem fuerit, perpetuo autem eiuſmodi manſerit, neque ullum verum depoſuerit ſedimentum*.

Si ſedimentum non continuavit uſque ad criticam evacuationem (*b*), *ſed vel in initio, vel in augmento febris apparuit, deinceps prorſus evanuit, nec rediit* (*c*). Quanquam vero ſedimentum album, laeve, aequale, liquorque ſupernatans ſubrufus aut flavus optimam coctionem ſignificant: tamen, quod & cum aliis tam ſedimenti quam urinae coloribus & conditionibus bonae obſervatae ſint criſes, nulla inde petimus reliquiarum ſigna.

Non tantum vero abſque praegreſſa coctione; ſed & tum criſin imperfectam reliquiaſque in corpore haerere iudicamus:

(*a*) Hoc confirmant non modo in notulis e--a commemorati ſed & complures alii v. c. HEURNIUS Comm. in HIPP. aph. 71. L. II. REGA Meth. medendi aph. 571. de GORTER. Med. HIPPOCRAT. L. I. aph. 20. VALCARENGHI in Medicina rationali Obſervationibus adaucta Cremonal 1737. §. 272.--275.

(*b*) BOERHAAVE §. 1016.

(*c*) Tempus quo bona coctio expectanda ſit, non ex dierum numero, ſed ex ſymptomatis nobis emetienda videtur, ita, ut bona coctio vel in ſtatu, qui in acutiſſimis morbis ſaepe in primos dies incidit, vel ſaltem ſub finem augmenti morbi incipere debeat.

Si mala crisin hanc comitentur signa. Quorum praecipuum est, si crisin hanc nullum prorsus symptomatum levamen sequitur, aegerque nullo modo se inde melius habet. Praeter hoc plura a colore, substantia, odore aliisque evacuationis conditionibus petita signa imperfectae criseos proponunt Auctores, quae Medicum tenere omnino oportet, ut sciat, num evacuationem hanc sinere, iuvare aut cohibere debeat. Horum tamen pleraque nos omittimus, quoniam parum lucis diagnosi reliquiarum inde accenditur, & quaedam tantum ex iis pro signis reliquiarum habemus, scilicet *evacuationem nimis parcam*, i. e. *quae statim, ubi coeperit vel sponte vel per artem sistitur*, *sudores non ex toto corpore sed ex una vel altera tantum eius parte provenientes*, *abscessum*, *qui absque ruptura disparuit*, *vel cuius suppuratio protinus & cum pus adhuc malae notae fuerit*, *disparuit*. Monemus tamen, vel haec tum demum reliquias significare, si nulla alia laudabilis evacuatio accesserit. Sic v. g. licet alvi fluxus fuerit parcus: tamen, si accesserit sudor bonae indolis, crisis haec ex toto bona esse potest.

§. IV.

Signa, quae post febrim reliquias demonstrent.

Etiamsi vero crisis aliqua caruit omnibus §. III. propositis notis, quae eandem imperfectam esse significent: tamen evacuationem hanc non sufficientem fuisse, colligendum est, si post sublatam febrim unum vel plura appareant ex nunc commemorandis signis:

Primo dicemus de iis, quae ab urina desumuntur. Sani hominis urina dilute flavi, maturis pomis citreis similis coloris esse solet. Num omnes convalescentis urinae ab hac sana aberrationes ad notas reliquiarum referri possint, nobis probabile non est; ideoque eas tantum commemorabimus, quas constans bonorum Auctorum observatio certa reliquiarum signa esse deprehendit. Sunt autem haec:

Urina cruda (*a*), *h. e. quae alba & simul tenuis est & aquae speciem refert, si statim a crisi diu talis redditur* (*b*).

(*a*) RIVER. p. 100. 102. STOERK Annus Med. II. p. 74.

(*b*) Quae verba ideo adiecimus quoniam ea tenuis urina, quae a convalescente, qui iam per plures dies sanam misit, uno vel altero die, ob spasmum ex animi affectu aut alio diaetae errore natum, redditur, ad haec signa non pertinet.

Urina obscure flava, sive sit tenuis, sive cum sedimento coniuncta (*a*).

Urina rubra cum sedimento rubro vel absque eodem (*b*).

Commemoranda nunc sunt reliqua post febrim apparentia certa reliquiarum signa, scilicet:

Oris amarities (*c*), *perpetua siccitas* (*d*), *aut si idem glutinosa saliva obductum sit* (*e*).

Lingua multum flava & sordida aut sicca (*f*).

Vehemens sitis etiam inconsueto tempore vexans (*g*).

Spiritus male olens (*h*) *etsi oris dentium mundities non negligatur*.

Ructus nidorosi (*i*).

Frequens nausea & continuus vomendi conatus (*k*).

(*a*) RIVER. p. 102. de GORTER Prax. Med. T. I. 190. LV.

(*b*) FORESTUS Observ. M. L. II. Obs. 26. GORTER Comp. T. 36. XI. LVII. X.

(*c*) HOLLERIUS in HIPP. aph. IX. XL. II. VALCAR. §. 269.

(*d*) HEURNIUS aph. 9. L. II. RIVER. p. 46.

(*e*) STOERK A. Med. I. p. 8.

(*f*) PROSPER ALPINUS de praesagienda vita & morte L. V. c. 9. VALCAR. §. 269.

(*g*) HOLLER. aph. 12. L. II. LOMMIUS p. 268. FIENE L. I. §. 6. c. 4.

(*h*) LOMMIUS p. 268.

(*i*) PISO Obs. de cogn. & cur. morbis ex edit. BOERHAAVII T. II. p. 39.

(*k*) STOERK A. M. p. 10. VALC. §. 361.

Appetitus inde a crisi perpetuo deletus. Appetitum nondum adeo vegetum in convalescentibus interdum a sola debilitate proficisci posse, affirmat TISSOT (*a*), quod facile concedimus. Sed vera & perpetuo durans inappetentia, communibus Auctorum suffragiis (*b*) pro certissimo signo reliquiarum habetur. Non enim est probabile, hominem, qui tam diu a cibis abstinuit, tantumque e corpore perdidit, nunc, si humores liberi sint a praegressae febris impuritatibus, appetitu prorsus destitui posse; docet potius experientia, convalescentes haud raro nimia ipsis noxia futura cupiditate in cibos ferri. Neque a nimia ventriculi repletione oriri potest haec inappetentia, cum eam tum demum signis reliquiarum annumeraverimus, si statim a crisi adsit.

Praecordiorum tumor & tensio (*c*), *corundem anxietas* (*d*) *orisque ventriculi dolor* (*e*) *non tantum post sumptos cibos sed & reliquo tempore infestantes*.

(*a*) De Febr. bil. p. 34.
(*b*) Ex quibus tantum nominabimus GORTERUM Med. HIPP. L. II. aph. 8. PISONEM T. II. p. 39. HEURNIUM aph. 9. L. II. BAGLIVIUM in Praxi Med. v. Ei. Op. omn. Antwerpiae 1711. in quarto p. 74. HOFFMANNUM T. II. p. 335.
(*c*) KLOECKHOF Opuscula p. 246. VALC. §. 361.
(*d*) STOERK A. M. I. p. 8. II. p. 51.
(*e*) Pr. ALPINUS L. V. c. 12.

Continua & valida cephalalgia (*a*).

Si convalescens eupeptis modice utens per longum satis tempus neque viribus aliquid proficit (*b*). Potest aliquis ab omni praegressi morbi labe immunis esse, neque tamen aliquid proficere, si vel dyspepta vel & eupeptorum plus assumat, quam ab infirmo corpore digeri possit. Sin vero idem eupepta modice comedenti accidat, necessario ad reliquias, quae nova ingesta corrumpant & nutritioni inepta reddant, concludendum est. Deinde hoc, quod inter signa reliquiarum retulimus: prorsus nihil proficere, distinguendum est ab illo languore, qui post multas acutas, nullis reliquiis remanentibus, apparet, & sensim tantum imminuitur.

Hypochondriorum fixus tumor & dolor aut durities & alvina excrementa argillacea (*c*), *potissimum si post icterum criticum relinquantur*.

Flavus ictéritius corporis potissimum oculorum color (*d*).

(*a*) VALCAR. §. 269.
(*b*) HOLLER. aph. 9. L. II. LOMMIUS. p. 26. 289. 290.
(*c*) PISO p. 320. GORTER Med. HIPP. L. IV. aph. 64. BAGL IV. p. 85.
(*d*) TISSOT Avis au peuple sur sa santé §. 60.

§. V.

Incerta reliquiarum signa.

Expositis itaque certis reliquiarum signis (a), quorum saltem unum vel aliquot, si reliquiae adsint, non esse apparitura, non est credibile: paucis nunc ea commemorabimus, quae nonnulli ad reliquiarum indicia referunt, nos vero pro certis, quibus Medicus fidem habere possit, signis non habemus. Si crisin alio quam iudicatorio die factam, saepe imperfectam fuisse, non negamus; sed cum vel his ipsis diebus probatae fidei Auctores bonas crises observaverint, hoc signum, nisi alia ex §§. II-IV. commemoratis adsint, nihil significat. Cur de languore diu superstite & sensim tantum imminuto, idem sentiendum sit, §. praecedenti ostendimus. Ita ab aliis huc referuntur: sudores nocturni, oedemata pedum & crurum, hebetudo sensuum, tristitia & meticulositas, somnolentia, vigiliae. Quae omnia etsi haud raro a reliquiis nasci, largiamur: tamen ab iisdem ad reliquias conclu-
di

(a) Cur notae quae vomicam in aliquo viscere antea inflammato demonstrent, etsi satis certa sint reliquiarum signa hic commemorari nequeant, ex notula c. cognoscitur.

di posse, ideo negamus; quoniam saepe a sola debilitate oriuntur. Observatum enim est ab optimis Auctoribus (*a*), symptomata haec, ubi absque aliis reliquiarum signis adfuerint, vel sua sponte, observata bona victus ratione, vel simul adhibitis roborantibus disparuisse, eadem vero, si a Medicis per errorem inductis tentata fuerint medicamentis reliquias evacuantibus, admodum aucta esse, imo si Medici eandem methodum continuaverint, convalescentibus insanabilia mala, ipsamque interdum mortem allata esse.

§. VI.

Prognosis Reliquiarum.

Nunc ad prognosin deveniendum est. Omnes in eo consentiunt Auctores, reliquias prioris morbi, nisi e corpore expellantur, eiusdem actiones turbare & cuiusvis generis morbos, om-

(*a*) Sic nobiscum sentiunt de sudoribus STOERK A. M. I. 8. II. 63. de oedematibus pedum & hebetudine sensuum KLOECKHOF p. 113. de iisdem & reliquis commemoratis symptomatis. SYDENHAM p. 70. 101. 102. 231. HECQUET Remarques sur l' abus des purgatifs & des amers a Paris 1729. p. 193. 203. 204. TISSOT de Febr. bil. p. 34. 35. 81--86.

nium vero maxime recidivas efficere. Quisnam autem ab istis reliquiis metuendus sit morbus, nostrum non est exponere; ostendamus tantummodo, quid in genere sperandum aut timendum, & quomodo reliquiae tollendae malisque earum effectis occurrendum sit. Ubi itaque vires sufficientes adsunt aut resuscitari queunt, neque simul nimia est caterva symptomatum a reliquiis natorum: spes est, fore, ut natura Medici ope adiuta materiem reliquam sensim expulsura sit; sin minus, metuendum est, ne vel aeger cito succumbat, vel in lentum morbum ipsi per longum tempus molestum imo non raro tandem exitialem incidat.

§. VII.

Curatio.

His de prognosi reliquiarum dictis, procedendum est ad earum curam, cuius duae erunt partes, quarum una curationem stricte sic dictam, altera diaetam his aegris iniungendam sub se comprehendet.

De illa primum dicturi sumus, quae ad tria redit: primo, ut materies quantocyus e corpore eiiciatur, deinde, ut quam diu haec evacuatio nondum ex toto fieri potuit, maiori

materiei corruptioni obviam eatur, & tandem ut virium praecedenti morbo plerumque iam labefactatarum simul iusta habeatur ratio. De his duobus ultimis seorsim non exponemus, sed quae de iis scitu necessaria sint, inspergemus partim diaeteticae partim ei doctrinae, quae de prima indicatione seu expulsione reliquiarum agit, quam nunc tractandam suscipimus. Necessariam esse hanc reliquiarum evacuationem, nemo facile dubitabit. Sed via & modus, quibus ea fieri debeat, pro diversitate loci, quem reliquiae occupent, diversitate morbi praegressi aliarumque conditionum varia sunt, Medicique attentionem postulant.

§. VIII.

Signa, quae reliquias in canali alimentari haerere doceant.

Omnium frequentissime materies reliqua haeret in canali alimentari, sive sub ipsa praegressa febre iam ibi haeserit, sive sub finem febris eo delata sit. Cuius rei signa sunt: ructus amari, nidorosi, os glutinosum, eiusdem foetor, lingua flava aut glutinoso viscido tecta, dentes simili multo viscido incrustati, inappetentia & aversatio ciborum, frequens nausea & vomendi

conatus, crebrior vomitus; epigaſtriorum tenſio, oppreſſio & dolor, hypochondriorum cum borborygmis mollis tumor, alvi deiectiones parcae, mucidae, exuſtae, nigrae aut multum foetidae, vel etiam frequentes cum vel ſine torminibus. Haec ſigna, quorum modo pauciora modo plura occurrunt, uti poſt quaslibet febres materiem in canali alimentari delitescere docent: ita eorum vis augetur, ſi praecesserunt vel incompleta criſis per vomitum & alvum, vel ſaltem febris quae per has vias commodiſſime iudicatur, aut cuius materies maximam partem reſidere ſolet in viſceribus chylopoeeticis, cuiuſmodi ſunt putridae maxime inteſtinales & bilioſae, item praegreſſae inflammationes viſcerum imi ventris.

§. IX.

Signa materiei evacuationi aptae vel ineptae. Quomodo ea evacuationi apta reddenda ſit.

Antequam vero materies in canali alimentari haerens expelli poſſit, videndum eſt, num ea evacuationi apta ſit. Ubi itaque vel iam in praecedente febre coctio aut criſis facta ſunt, vel his licet non praegreſſis, tamen os & lin-

gua humida, viscidum linguam occupans minus tenax, cutis mollis, hypochondria etsi inflata tamen mollia, urina non tenuis rutilans, sed flava crocea, magis minusque turbida, aut cum oris amaritie frequens nausea & vomitus absque dolore, aut deiectiones molliores copiosae absque vehementibus torminibus apparent: intelligimus, materiem evacuationi aptam esse. Ubi vero haec signa deficiunt, vel his contraria v. c. lingua sicca aut ex rubro nigra, urina rutilans tenuis, venter durus, alvus vel prorsus obstructa vel nimis sicca, observantur (a): cognoscimus materiem evacuationi adhuc ineptam, adeoque antea coquendam, i. e. mobilem efficiendam viasque per quas eandem expellere animus est, liberas & molles reddendas esse.

Id efficiunt tum praecipue largus potus diluens, qui, qua ratione parandus & praegresso cuilibet febris generi accommodandus sit, §. XVII. docebimus, tum medicamenta, quae materiem diluant, resolvant, alvumque simul leniter subducant, ipsiusque morbi indoli contraria sint. Post inflammatorias febres ea conducunt, quae humores absque valido stimulo incidunt, cuiusmo-

S 3

(a) HECQUET p. 51--53. 65--70. TISSOT p. 30.

di sunt oxymel, succi inspissati fructuum horaeorum, salia acida vegetabilia, v. c. cremor tartari, & succus citri, ex salibus neutris facile solubilia, e. g. tartarus tartarisatus, sal polychrestum de Seignette, Spiritus Mindereri, aut si per facultates aegri licet, liquor terrae foliatae tartari (*a*). Eadem conveniunt post putridas potissimum intestinales (*b*). Ubi vero post has, vel quod praecipue post reliqua putridarum genera v. c. biliosas maxime vero malignas fieri solet, manifestae putredinis indicia adsunt: largior esse debet usus eorum, quae cum vi resolvente coniunctam habeant antisepticam. Qua facultate cum in primis polleant oxymel, succi inspissati fructuum horaeorum, salia acida vegetabilia, v. c. acetosellae, cremor tartari, succus citri, his potissimum pugnandum esse, facile patet. Imo si maioris putredinis observentur

---

(*a*) Alvus, si per haec, quod rarius fit, non satis aperta servetur enemate emolliente libera reddenda est.

(*b*) Si v. g. ex nimis tenaci os & linguam occupante viscido aliisque signis materiam nimis tenacem esse intelligamus, laudatis medicamentis parca dosis sulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis adiici potest. Modum omnia hac §. commemorata medicamenta in varias formas redigendi, tanquam satis notum, hic exponere nimis longum foret.

notae: his interponi poteſt prudens uſus acidorum mineralium multa aqua dilutorum.

Si, quod poſt putridas non raro accidere ſolet, vires admodum depreſſae ſunt, eae ſimul erigendae ſunt tum omnium optime per victum & potum, quem qualis in hunc finem eſſe debeat, §. XIX. exponemus, tum per data medicamenta. Ipſa iam ſub reſolventibus commendata poſt putridas acida viribus ſuccurrunt. Hinc TISSOT (*a*) & STOERK (*b*) ſolum acidum aliquod minerale, v. g. Spiritum Sulphuris per campanam paratum, vel Spiritum Salis cum grato aliquo ſyrupo commixta huic ſcopo ſaepe ſatisfeciſſe, aſſerunt. Sin autem haec non ſatis valida videantur, in uſum vocari debent tanquam in hoc caſu tutiſſima & convenientiſſima, acida mineralia dulcificata, ſive iſta orta fuerint ex ſola Spiritus Vini cum acidis per digeſtionem commixtione, uti fit in Elixirio Vitrioli Mynſichti & Aqua Rabelii, ſive ex arctiori Spiritus Vini cum acidis per diſtillationem coniunctione, cuius generis ſunt liquor anodynus mineralis Hoffmanni, Spiritus Nitri aut Salis dulces. Quodcunque ex his roborantibus detur,

(*a*) De Febr. bil. p. 48. 63.
(*b*) A. Med. I. p. 5. 25.

vel ante dictorum resolventium usui interponi, vel quod fere praestat, iisdem in fluida forma exhibitis admisceri potest. Horum vim augebit interpositus usus meracioris infusi vel decocti Florum Camomillae Romanae. Haec cum diaeta reficiente coniuncta medicamenta, ante evacuationem reliquiarum vires ut plurimum sufficienter sustinent. Sin autem, uti saepe fit post veras malignas, nimia esset virium prostratio: dari debet cortex peruvianus vel eius extractum, commixta tamen cum ante dictis resolventibus (a); quibus etiam radix serpentariae virginianae, vel parca dosis spiritus Cornu Cervisuccinati aut Camphorae addi possunt.

§. X.

Signa, quae viam monstrent, per quam materies in primis viis haerens expelli debeat.

Ut primum vero signa materiae coctae apparent, ad eius evacuationem quantocyus properandum esse, facile perspicitur. Cum auten

(a) V. HUXHAM de Febribus in Ei. Operibus Physico--Medicis, a G. C. REICHEL, Praeceptore nostro, dum viveret, fidelissimo, editis L. 1764. T. II. p. 89.

duae, per qua ſic haerens materia eiici poſſit, pateant viae, ſcilicet vomitus & alvi purgatio: brevibus nunc, utra harum eligenda ſit, diſquiremus. Vomitum itaque deſiderant: ciborum averſatio, oris amarities, lingua multo viſcido tecta, crebrior ſalivae affluxus, oris ventriculi dolor, tenebricoſa vertigo, frequens nauſea aut repetiti nolentium vomitus, corpus vel bilioſum vel quod ſaltem non nimis difficulter vomit. Quae vomitus inſtituendi neceſſitas augetur, ſi praeceſſerit eiuſmodi febris putrida, cuius materies maximam partem haeſit circa ventriculum viaſque biliarias (*a*).

Ubi autem vel adſunt vera vomitum prohibentia ſcilicet: praegreſſa inflammatio cerebri, pectoris, ventriculi, inteſtinorum, pectus nimis depreſſum aut male conformatum, aut alia olim nata pectoris ſeu alius viſceris labes, v. c. haemoptyſis, vomitus cruentus, aut graviditas convaleſcentis; vel, licet non adſint haec vomitum prohibentia, tamen, ubi ex praegreſſa criſi per alvum bona quidem ſed non ſufficiente, aut ex hypochondriorum & regionis umbilicalis

(*a*) Neque a vomitorio ob vires iam imminutas adeo timendum eſt. Uſu enim cognoverunt HUXHAM l. c. T. II. p. 83. aliique prudentem doſin vomitorii ſuo loco datam plerumque minus debilitare quam purgans.

cum borborygmis molli tumore, levibus torminibus, quibus interdum accedunt genuum gravitas, & lumborum dolor; item ex crebrioribus non nimis molestis alvi deiectionibus, ipsam naturam evacuationem per alvum moliri, intelligamus: facile apparet, instituendam esse alvinam purgationem.

§. XI.

Modus eam evacuandi.

Si itaque ex positis a nobis signis vomitus desideratur, optimum in hunc usum iudicamus remedium solutionem aquosam tartari emetici. Dosis pro aetate, temperie & viribus aegri varia est. Hinc, cum in sanis iam ob variam idiosyncrasiam tutius sit, istam solutionem in tres quatuorve doses dividere, & si prima vel secunda dosis satis efficax fuerit, reliquas omittere: facile intelligitur, magis adhuc convenire hanc methodum in convalescentibus.

Dicendum nunc est de iis medicamentis, quae dari debeant, si purgatio indicetur. A valde stimulantibus, resinosis abstinendum hic esse, sua sponte patet. Optima sunt temperiei & viribus accommodata apozemata ex Pulpa Tamarindorum, Manna, Sale cathartico Anglico

aut tartaro tartarisato vel solis, vel si quo stimulo opus esse videatur, additis aut foliis Sennae, aut cum potissimum post putridas vires canalis alimentaris multum imminutae esse soleant, rhabarbaro. His medicamentis uti licet post omnes febres, praeter inflammationes ventriculi & intestinorum, quae, testibus optimis Auctoribus, lenissimo applicato stimulo, facile recrudescunt. Ubi itaque post hos morbos indicia reliquiarum in primis viis adsunt, evacuationem efficient parcis subinde repetitis dosibus data & si opus esse videatur, per aliquot dies continuata vel sola Manna sero lactis aut decocto avenae excorticatae soluta (a), vel potio ex Manna, Pulpa Tamarindorum, Syrupo rosarum solutivo & aliqua aqua parata.

Ubi tum signa vomitus tum alvinae purgationis observantur, neque adsunt indicia vomitum prohibentia: optimum est medicamentum utrique fini satisfaciens, quod haustum emetico-purgantem vocare solent, cuiusmodi est vel tartarus emeticus permulta aqua dilutus & per plures parcas doses datus, vel eadem tartari emetici solutio cum Manna coniuncta.

(a) TISSOT Avis §. 813.

§. XII.

Quid post evacuationem faciendum sit.

Factis igitur aut vomitu aut alvi purgatione, sequenti die videndum est, num, quod saepe fit, disppareant signa, quae reliquias significare diximus. Quod si fiat, aeger ad normam illorum, qui a reliquiis immunes sunt (§. XVIII.), tractandus est (*a*). Sin autem vera reliquiarum signa supersint: non protinus repetenda est evacuatio, sed per aliquot dies utendum est iis, quae reliquam materiae morbosae partem coquere & immutare diximus; sic tamen, ut iam praecipue virium modo §. IX. exposito, habeatur ratio. Quibus per aliquot dies factis, ad evacuationem regrediendum est. Vix unquam vomitus tum indicatur, sed tutius alvum purgantibus utimur, quorum dosis ex aegri viribus & indiciis maioris vel minoris reliquiarum copiae aestimanda est. Si, quod rarius fieri solet, post secundam alvi purgationem, reliquiarum remaneant indicia: optimum videtur, ne viribus vim inferamus, si interpositis aliquot diebus, ad

(*a*) Idem post evacuatam materiem, quae in aliis (XIV--XVI.) locis haesit, fieri debere, in antecessum monemus.

parcam eamque ut plurimum satis coctam materiem e corpore evacuandam, rhabarbari quod lenem relinquit vim roborantem parcam dosin v. g. scrupulum unum aut drachmam dimidiam, admixta aequali portione cremoris tartari aut tartari tartarisati, vel, quod fere praestat, rhabarbari tincturam aquosam aut solam aut cum liquoris terrae foliatae tartari aequali parte coniunctam, altero vel tertio quovis die porrigamus, donec nulla materiei morbosae supersint indicia. Si post vere malignas summa adsit debilitas, quae vel iam descriptum rhabarbaro utendi modum prohibeat, non alienum videtur, ad mentem MEADII (*a*) & MONROI (*b*) rhabarbarum cum cortice peruviano coniunctum adhibere, donec reliquiarum notae evanescant.

§. XIII.

De reliquiis in visceribus imi ventris haerentibus.

Alias satis frequens reliquiarum sedes solent esse reliqua imi ventris viscera, praecipue hepar, lien & glandulae mesaraicae. Ubi itaque

(*a*) Monita & Praecepta Med. c. 1. Sect. 8.
(*b*) V. DONALD MONRO *von den Krankheiten unter den Truppen im Felde, aus dem Engl. übersetzt. Altemburg* 1771. T. II. Sect. 15. p. 407. 408.

vel in liene, ex dolore fixo finistri hypochondrii una cum impedita respiratione, vel in hepate, ex dextri hypochondrii plerumque simul tumidi dolore fixo laesisque ut plurimum functionibus bilis, v. c. excrementis albis argillaceis, flavo icteritio corporis colore sim. vel in glandulis mesaraicis ex ventre perpetuo tumido sim. haerere reliquias, eademque obstruere intelligimus (*a*): in usum vocanda sunt: serum lactis larga copia adhibitum, hydromel, decoctum meracum recentis graminis recens expressi succi cichorei, lactucae, taraxaci, fumariae, sonchi, aut ex his cocta iuscula vitulina, vel, si per anni tempestatem his potiri non liceat, earundem plantarum extracta aqua soluta & cum facile solubili sale v. c. tartaro tartarisato coniuncta, item inspissati fructus horaei. Locus affectus molliter fricandus ipsique linimentum aliquod saponatum admovendum. Si simul adsint indicia in primis viis residentium impuritatum, potissimum, si praecessit febris putrida intestinalis aut biliosa: ea ante omnia expurganda est,

(*a*) Monemus, nos tantum de incipiente lenta obstructione horum viscerum hic exponere, non autem de inflammatione, quae interdum in convalescentibus lienem aut hepar aggredi solet, neque de eo lentae inflammationis gradu, cui iam hydrops aut tympanites accesserunt.

ſic tamen, ut abſtineatur ab omni valido purgante, & adhibeatur vel parca & ſaepius repetita doſis purgantis potiſſimum rhabarbari, vel quod in hoc caſu utiliſſimum obſervaverunt recentiores (*a*), ſubinde repetitum & tam exigua doſi exhibitum vomitorium v. c. tartarus emeticus, ut leniſſimum tantum cieat vomitum.

§. XIV.

De abſceſſibus ex reliquiis natis.

Non raro reliquiae aliquem in parte quadam externa ignobili v. c. iuxta aures, in inguinibus, cruribus ſim. efficiunt tumorem. Hic nulla ratione reprimendus ſed omni modo ad ſuppurationem deducendus & maturandus, ut primum aliqua ſaltem fluctuatio percipitur, imo citius, ſi alia formati puris adſint indicia (*b*), aperiendus & tam diu apertus ſervandus eſt,

(*a*) V. c. PRINGLE *Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee, aus dem Engl. überſetzt von I. F. Greding. Altenburg.* 1754. P. III. c. 5. p. 238. & MONRO l. c. p. 486. ſq.

(*b*) Monet enim PRINGLE l. c. p. 309. cutim, quae abſceſſum tegat, ob pus nimis tenax ſaepe adeo duram eſſe tactu, ut nulla fluctuatio percipi poſſit.

donec pus effluens bonae notae fit & §. IV. commemorata reliquiarum figna difpareant. Intus ea dentur, quae materiem reliquam coquere, & maiori eius corruptioni refiftere §. IX. diximus. Si manifeftae fimul appareant fordium in primis viis haerentis notae: eae methodo §. XI. defcripta evacuentur, ita autem, ut dentur tantum leniora, &, fi opus videatur, fubinde repetita, ne puris reforptioni occafio fubminiftretur. Eadem eft curatio abfceffus tempore praegreffae febris iam formati, cuius vero fuppuratio poft febrim adhuc pergit.

§. XV.

Quid faciendum fit, fi quem occupent reliquiae, non appareant notae.

Dicendum nunc eft, quid faciendum fit, fi figna quidem adfint, reliquias in corpore fupereffe; loci autem, quem occupent, manifefta non appareant indicia. Ante omnia videndum tunc eft, an praecefferit aliqua critica evacuatio? Haec itaque, adhibitis fimul communibus §. IX. commemoratis, fi fieri poffit, reftituenda eft (a). Sic

(a) KLOECKHOF p. 260.

Sic v. g. si praegressa est crisis per sudores, post inflammatorias febres convenit largus usus calide potatorum infusorum plantarum resolventium & simul leniter stimulantium, v. c. veronicae, eryngii, hysopi, oreoselini, scordii, melissae, addito frustulo pomicitrei, item calidi seri lactis aceto vel vino parati. Ex medicamentis reliquis palmam praeripiunt Spiritus Mindereri & rob sambuci, quae inter se & cum aliqua aqua destillata commixta sub forma potionis dari possunt. Iisdem post febres putridas utendum est (*a*), sic tamen, ut hic simul uti liceat vino rubro generoso, additis succo citri & sacharo mitiori reddito, imo, si vires multum langueant, prudenti dosi potus Anglis Punche dicti calide potati. Si praecessit crisis per urinas, prosunt decocta plantarum aperientium & proprie diureticarum dictarum (*b*), quibus admisceri possunt tartarus tartarisatus, liquor terrae foliatae tartari, aut ex consilio HUXHAMI

(*a*) HIRSCHEL commendat usum opii cum tartaro emetico coniuncti v. Ei. *Medicinische Nebenstunden* p. 18.

(*b*) Quorum pleraque v. apud CELSUM de Medicina, ex Edit. Car. Christ. KRAUSE, cuius solertissima institutione nos usos esse maxima semper cum voluptate recordabimur, L. II. c. 31. p. 108. & HOFFMANN I. p. 438.

(*a*) Spiritus nitri dulcis & sal succini. Saepius his adhibitis, reliquiae discutiuntur; sin autem his per aliquod tempus datis, tamen reliquiae supersint, ad leniora purgantia confugiendum esse, existimo. Ubi nulla praegressa est crisis, respiciendum est ad naturam praecedentis febris. Quae si fuerit putrida, utendum est purgantibus ad normam §§. X. & XI. Si vero fuerit inflammatoria, per aliquod tempus possumus inhaerere solis materiem resolventibus & immutantibus (§. IX.). Quodsi sub horum usu natura aliquam v. c. per sudores, urinas sim. cum levamine convalescentis efficiat evacuationem: ea adiuvanda est. Quae si non eveniat, vel in his adhibenda esse existimamus leniora antiphlogistica purgantia (*b*).

§. XVI.

Diaeta eorum, quibus cum reliquiis conflictandum est.

Ab his, quae de therapia eorum, in quibus reliquiae supersunt, diximus, progrediemur nunc ad diaetam iis iniungendam. Haec maximam partem monito HIPPOCRATIS: im-

(*a*) T. I. p. 353.
(*b*) KLOECKHOF p. 261.

purum corpus quo plus nutriveris, eo magis laedes, innititur & cum diaeta praegressae febris convenit. Quapropter abstinendum est a carne cuiusvis generis, ovis, omni pingui, v. c. oleo & butyro. Utendum est victu parco, tenui, humido, facillimae digestionis & simul materiae morbosae contrario. In quem finem commodissima sunt decoctum panis meracius, cremor oryzae, excorticatorum avenae & hordei, item iuscula ex aqua cum pane bonae notae, sago, teneriori sagopyro, contusis oryza & teneriori hordeo excorticato, quibus succus citri & pauxillum salis communis addantur, vel ex tenuissima cerevisia cum pane parata (*a*); item oxygala cum pane albo remixta. Ex iusculis animalium tantum ea concedenda sunt, quae ex carnibus facile acescentibus, v. c. vitulorum aut pullorum cohortalium parantur, quibus succus aliquis acidus v. c. citri aut acetum admiscendus, & mollis aliqua herba, v. c. spinachia, acetosa, folia cichorei, chaerophyllum, turiones asparagi, lupuli, item teneriores & leniter nutrientes radices, v. c. cichorei, scorzonerae, sisari, apii dulcis, dauci sim. incoquen-

(*a*) Plura eiusmodi alimentorum exponit ZUCKERT *im Medicinischen Tischbuch Berlin*, 1771.

da ſunt. Porro tum utilitate tum gratia ſe hic commendant maturi fructus horaei, quorum alii tanquam molliores, v. c. ceraſa, fraga, fructus berberis, mori, rubi idaei tam crudi quam in ſuccis inſpiſſatis, alii tanquam minus molles, v. c. mala, pira, pruna ſim. corticibus probe repurgati, vel cocti vel ante coctionem exſiccati, porrigendi ſunt. Omnia iam commemorata alimenta non plenis buccis ſed moderata copia & ſaepius repetitis vicibus danda ſunt. Potus debet eſſe admodum largus non ex ſola aqua, quae non ſatis penetret humores, ſed ex eadem decocta ex pane, avena aut hordeo, cui addi poſſunt ſuccus citri, mel vel ſolum aut cum aceto coniunctum. His addi aut interponi poſſunt decocta ceraſorum & malorum. Poſſunt etiam potus vice fungi tenuis & recens oxygala, item ſerum lactis. In iis, qui omni appetitu deſtituuntur, dicti potus alimenti loco eſſe poſſunt, decocta tamen cerealium tunc debent eſſe paullo meraciora.

§. XVII.

Continuatio.

Haec omnibus communia ſunt. Iam ſupra monuimus, poſt febres putridas potiſſimum ma-

lignas saepissime ingentem oriri debilitatem. Ad hanc debellandam praeter fructus horaeos potissimum eorundem succos inspissatos, largumque usum feri lactis vinosi (*a*), nihil praestantius est vino acidiusculo bonae notae, v. c. rhenano sim. Quod vel cum pane vetustiori contrito, ope adiectae aquae duplae vel triplae quantitatis, sachari & succi citri in formam intritae redactum, vel potui descripto una cum sacharo & succo citri adiectum, porrigi potest. Quocunque modo exhibeatur, non simul & semel sed repetitis parcioribus dosibus dandum est. Dosis ex maiori vel minori infirmitatis gradu, ex eo, num vino antea fuerit assuetus convalescens nec ne? Item ex subsequente effectu aestimanda est, ita, ut si vel ingens aestus aut capitis dolor ipsum sequatur, eius dosis imminuatur, vel si nec hanc ferre possit, intermittatur.

(*a*) His potissimum utendum est in reliquiis inflammationum cerebri, pectoris, ventriculi & intestinorum, in quibus vini usum alienum esse, observaverunt Auctores.

§. XVIII.

Cura eorum, qui a reliquiis immunes sunt.

Nunc ad alterum convalescentium genus accedimus, eos scilicet, in quibus nulla reliquiarum indicia apparent, adeoque a reliquiis immunes habendi sunt. His evacuantia plane fugienda sunt (*a*); per horum enim continuatum usum, teste experientia, vires primarum viarum infringuntur, cruditates ibidem generantur & ad secundas vias deferuntur, corpus succis exhauritur, nervis vis infertur, nec tantum recidivis, sed & aliis gravissimis morbis, e. g. apepsiae, hydropi, atrophiae, febri lentae, malo hypochondriaco, melancholiae, nec raro ipsi morti commodissima sternitur via. Omni potius ratione eo allaborandum est in hoc convalescentium stadio, ut vires, quantum fieri possit, sensim erigantur, corpusque bonis succis repleatur. Quod quomodo fieri debeat, nunc explicabimus.

Primo dicemus de iis, quae omnibus servanda sunt. Abstinendum itaque est a cibis dyspeptis, v. c. fructibus leguminosis, solano esculento, pultibus farinaceis potissimum spissioribus,

(*a*) Alia res est, si denuo fuerint collectae sordes, de quo stadio v. §. XXI.

omnis generis placentis, diuturna coctione induratis ovis, carnibus pinguibus, durioribus aut fumo & sale induratis, praecipue piscibus glutinosis & durioribus sim. Victus mollissimus §. praecedenti descriptus, non quidem protinus ex toto relinquendus est, sed ne per eundem corpus nunc purum redditum nimis emolliatur, sensim prudenter ad solidiorem, facilis tamen digestionis & boni succi transeundum est. Panis sit rite fermentatus & coctus nec recens. In usu carnis, qui, si moderatus est, nunc multum utilitatis habet, incipiendum est a parciori eius copia & a mollioribus in putredinem non adeo proclivibus carnibus, v. c. vitulorum & pullorum cohortalium, quibus incoquantur §. XVI. commemoratae aliaeque teneriores plantae, adiecto aliquo succo acido (*a*). Interdum ovo uti possunt. Ab his procedendum est ad alias carnes, quae ventriculum non adeo emolliant, v. c. iam dictorum animalium assas carnes, pisces teneriores v. c. truttam, iuniorem lucium, sim. carnem teneriorum agnorum, iuniorum bovum,

(*a*) Facile intelligitur, in his, qui ante febrem frequenter eructaverint acidum, non nimis diu inhaerendum esse acidis adiectis coctaeque carni vitulinae.

quarum carnium aliorumque aptorum alimentorum varietas habetur apud Auctores diaeteticos (*a*). In ciborum quantitate, cum plerumque horum convalescentium appetentia sit satis valida, videndum est, ne simul & semel magna ciborum copia devoretur, sed moderata eorum quantitas saepe quidem repetitis vicibus, ita tamen sumatur, ut inter quemlibet sumptum cibum digestio peracta sit (*b*). Omnia alimenta debent sollicite masticari; coena sit parca, ne somnus turbetur; nihil enim convalescentibus magis fere nocet quam vigiliae aut minus tranquillus somnus. Potus debet esse non nimius, ne ventriculus infirmetur, corpus cruditatibus obruatur & ad oedemata disponatur; non ex sola aqua, sed ex eadem vel cum tenuissimi vini parca quantitate remixta, vel aquae usui interposita cerevisia moderate lupulata, nec nimis tenui aut vappida, nec nimis meraca, cuius copia pro aegri viribus & consuetudine largior aut parcior esse debet. Alvus apto victu, v. c. moderato usu fructuum horaeorum libera serve-

(*a*) Potissimum ZUCKERT l. c.

(*b*) Num hoc recte observaverint, ex eo intelligent, si novus ingestus cibus ipsis molestiam non creet. Satis enim sensilis esse solet per aliquod tempus convalescentium ventriculus.

tur ; & ſi per duos aut ad ſummum tres dies obſtructa ſit , imo citius , ſi inde moleſtiae naſcantur , clyſmate emolliente aperiatur (*a*) . Corpus moderate exercendum eſt per frictionem abdominis, geſtationem, inſtitutam in aura puriori vectionem , ambulationem & , quae prae aliis utilis eſt , equitationem . Quae ad recuperandas vires [illegible] eo neceſſaria exercitia vacuo ventriculo fieri & ſenſim augeri debent . Diu abſtinendum eſt a venere , crapula potiſſimum uſu vini aduſti , refrigerio , aura matutina & nocturna aut pluvioſa & nebuloſa , ingenti ſolis aut conclavium calore , vehementioribus animi affectibus , praecipue ira , zelotypia , terrore & triſtitia , corporis per nimis validum motum defatigatione , vehementiori virium mentis intenſione , ſic , ut quorum negotia hanc potiſſimum requirant , ſenſim tantum ad illa recedant .

(*a*) V. TISSOT Avis §. 45. 9.

§. XIX.

Ea, quae quibusdam horum convalescentium servanda sunt.

Dicendum nunc est de iis, quae quibusdam tantum convalescentium generibus, pro indole praegressi morbi facienda sint. Post cerebri aut eius meningum pectorisque inflammationes, vel per aliquod tempus, si vires sufficiant & convalescens iunior sit, a vino ex toto abstinendum, vel, si ob manifestum languorem aut aegri consuetudinem id concedendum sit, saltem diu prorsus vitanda sunt vina generosiora tum oleosa v. c. Hispanica & Hungarica, tum vetustiora Gallica & Germana, & tantum lenissimo aliquo vino in moderatissima dosi & multa aqua diluto utendum est. Simul diu post pectoris inflammationes cavendum est a balneo, acribus, fortioribus acidis (*a*), validis exercitiis quibusvis inprimis pulmonum, pulveribus sternutatoriis (*b*)

(*a*) VAN SWIETEN Comm. in aph. BOERHAAVII. T. III. §. 891.

(*b*) HUXHAM T. II. p. 189. affirmat, se dolores peripneumonicos per insigne temporis spatium iam ex toto sublatos, a sternutationis impetu protinus iterum excitatos esse.

v. c. herbae nicotianae praecipue in minus assuetis, omni refrigerio potissimum flatu boreae (*a*), maxime eo, qui calidiorem tempestatem excipit (*b*).

Post inflammationes ventriculi potissimum autem intestinorum convalescentes lenissime tractandi sunt. Per longum enim tempus debent mollissimo & fere tantum liquido victu per vices parca copia dato contenti esse, abstinere ab omni cibo inflante, salso, vino, equitatione paulloque validiori ambulatione; alias infirmata per praegressam inflammationem intestina in eandem facillime relabuntur.

Post omnes fere malignas, item post multas biliosas & intestinales, diu superesse solet ingens debilitas tum ventriculi totiusque corporis, tum animi. Ad quam tollendam, in usum ducenda sunt non modo ea, quae §. praecedenti, omnibus convalescentibus commendavimus, & inter haec praecipue frequens corporis exerci-

---

(*a*) HOFFMANN T. II. p. 140.

(*b*) Si post pectoris inflammationes ingens potissimum pectoris superest debilitas: maximum praesidium est in usu lactis inprimis asinini cum aura rurali coniuncto. Quid in eo observandum sit, hic exponere non possumus. Si hoc potiri non liceat, utendum est vel lactis sero vel eiusdem sacharo.

tium, sed praeter haec etiam diu continuatus usus seri lactis vinosi; potissimum vero subinde & repetitis vicibus modica dosi exhibiti vini alicuius generosi, ex quibus in primis laudantur paullo vetustius rhenanum & rubra subadstringentia gallica genuina v. c. pontacinum. Cum hac diaeta reficiente coniungendus est usus balneorum frigidorum & medicamentorum roborantium, v. c. acidorum mineralium dulcificatorum, vini amaris digesti, omnium vero maxime corticis peruviani, in infuso aut decocto, vel, si vires ventriculi ferunt, in substantia sub forma pulveris aut electuarii dati. Extus HOFFMANNUS (*a*) recte iubet ventriculo admoveri spiritum vini, in quo oleum aliquod destillatum v. c. lavendulae, caryophyllorum, nucis moschatae solutum sit. Diu his vitanda sunt abusus potus calidi, balnea calida, aura nubila & humida, potissimum flatus austri (*b*), quo regnante HOFFMANNUS & HUXHAMUS plures

(*a*) Consult. & Responsa Med. Frf. 1734. p. 833.

(*b*) Hoc tempore videtur praecipue ex usu esse moderatus haustus vini, quod corpus celeriter pervadendo perspirationem potissimum adiuvat, cuiusmodi sunt multa Gallica, v. c. burgundica, campana, item potus punche calide sumptus. His eodem tempore, matutinis horis paullo diutius in lectulo versandum erit.

huius morbi recidivas obſervaverunt, item conſuetudo cum iis, qui hoc morbo laborant. Conclave, in quo aegrotaverint, vel nunc mutandum vel ſaltem flatu purioris äeris repurgandum. De die, quantum fieri poteſt, ſaltem, ſi vires nimis depreſſae inter initia non patiantur, maiorem diei partem extra lectulum verſari oportet (*a*). Haec omnia, quae iam propoſuimus, uti omnibus, qui ex malignis convaluerunt, ita potiſſimum foeminis & qui ante febrim imbecilles fuerunt, diu continuanda ſunt; alioquin facillime in priorem morbum recidunt.

§. XX.

De variis, quae his accidunt, ſymptomatis.

Eſſet etiam nunc dicendum de variis ſymptomatis, quae quibuſdam huius ſtadii convaleſcentibus accidere ſolent, v. c. oedematibus pedum, difficili auditu aliorumque ſenſuum hebetudine, ſtupore, ſomnolentia, agrypnia, melancholia, imo interdum quadam inſipientiae ſpecie. Quae vero omnia, ſuperata, modo

(*a*) UNZER *im Arzt* T. V. p. 449.

§§. XVI. & XVII. descripto, debilitate, a qua nascuntur, sponte cedere solent. In oedematibus pedum, quod symptoma reliquorum frequentissimum & levissimum est, frictio eorundem lenis potissimum utilis est. In morbis nervorum praeter ea, quae vires restaurare diximus, etiam per aliquod tempus continuatum usum moderata dosi datorum gummi ferulaceorum, v. c. asae foetidae, multum profecisse, observavit PRINGLE (a).

§. XXI.

Cura eorum, qui novas collegerunt impuritates.

Paucis nunc exponendum est de iis convalescentibus, qui a prioris quidem morbi reliquiis liberati sunt, denuo tamen varii generis collegerunt impuritates. Quem statum adesse intelligimus, si febris non modo absque malis (§§. II. III.) signis terminata sit, sed etiam nulla ex iis quae §. IV. post febrem reliquias significare diximus, apparuerint, nunc vero post manifesto praegressa ea, quae convalescentibus in

(a) L. c. p. 310.

victu & potu vitanda esse monuimus; varia labefactatae digestionis indicia, quae haud raro cum sudoribus nocturnis pustulisque hinc inde in cute oriundis coniuncta sunt, observentur. Quae signa ubi animadvertuntur, protinus collectae sordes, modo §§. IX. & X. exposito eiiciendae sunt, ubi tamen monendum est, hic raro opus esse coctione, sed plerumque statim suscipi posse evacuationem. Hac facta, convalescens iterum ad normam §. XVIII. tractandus est.